

HIC CONQUIESCAM



COLLEGIVM POLLINGANVM
Ordinis Canonicorum Regularium



2

NOVA PHILOSOPHIÆ PLANETARUM ET ARTIS CRITICÆ *SYSTEMATA*

adumbrata
ab
A. R. R. D. EUSEBIO AMORT

in antiquisſima & celeberrima Eccleſia ad SS. Crucem & SS. Salvatorem in Polling Superioris Bavariæ Canonico Regulari Lateranenſi Philoſophiæ Profeſſore.


Pars prior Philoſophiæ
complectens Logicam & Metaphyſicam.



Cum Facultate Superiorum.

Norimbergæ.
Apud Petrum Conradum Monath. MDCCXXIII.





Reverendissimis & Illustrissimis:
Perillustribus, Prænobilibus, Excellentissimis.
DOMINIS, DOMINIS

FRANCISCO LUDOVICO SCHENCK,

L. B. de Castell Domino in sup. & infer. Bav. Cathed. Eccles. Eystad. & Augustanæ respe-ctivè Canonico Capitulari ac *Præposito* &c.

CHRISTOPHORO OTTONI

Comiti ac Domino in Schallenberg, L. B. in Luffenberg, Au, Leombach & Rueppenstall Cathed Eccles. Constant. & Augustanæ respectivè Canonico Capitulari, Præposito ac *Decano* &c.


SIGISMUNDO

S. R. S. Comiti ab Arco, Domino in Penedal, Drena, Spinedi, Restauri &c. Castelini & Metropo. & Cathed. Eccles. Salisburg. & Augustanæ Canonico Capitulari, respectivè *Seniori* ac *Jubilæo* &c.

Cæterisque Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonicis,

Dominis, Dominis suis Gratiosissimis.

Reverendissimi & Illustrissimi, Perillustres, Prænobiles, Excellentissimi Domini, Domini Gratiosissimi.



Uod moriturus Tobias Unigenito suo mandatum dedit: *Honorem habebis Matri tuæ*. Tob. c. 4. id sibi quóque relictum credit Ecclesia Pollingana, ut piissimam matrem suam, Cathedralem scilicet Augustanam Ecclesiam filiali affectu perpetuò veneretur, felix tanta Matre filia. Jam decem fermè rapido cursu fluxere sæcula, per quæ sat cognoscere ac experiri licuit, quàm gratiosam, sollicitam, ac liberalem filia hæc nacta sit Matrem in Matrice Cathedrali Augustana Ecclesia: Hujus ab uberibus perpetuò virium incremento adaucta hujus in sinu ab hostium insultibus contutata; Hujus denique curis, sollicitudine, ac gratiosis favoribus in præsentem ætatem fortunamque deducta est. Debuit igitur Matri huic debitus, isque publicus, parari honor, debuit amori cedere verecundus pudor, & mandati severitas vincere excusationem infirmitatis. De modo tantùm, quo suæ erga Matrem obligationi filia satisfacere posset, anceps aliquamdiu hæsit quæstio. At ecce! est suus quóque in mandato Tobisiano modus: *Memor*, inquit,

quit, *esto, quæ & quanta passa sit propter te.* Nempe hic modus est, quò colitur, quidquid uspiam divinum est; hæc merces est magnarum mentium; hoc templum honoris grato fumans thure, memoria beneficiorum nunquam moritura. Liceat igitur memorando persequi antiqua Augustanæ in nos pietatis vestigia, quoniam apud memores sua etiam, quanquam veteri, stat gratia facto.

Duo equidem beneficiorum genera sunt, quæ præclaram Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ famam nobis commendent, átque inscribant æternitati. Primum eò illustrius est, quò in plures diffunditur, Religionis nempe avitæ candor, doctrinæ splendor, ac fulgor sanctitatis, quæ, dum per sexaginta quinque Episcoporum fideles manus, átque inter ambones plùs quàm mille Canonicorum sanguine & meritis illustrium ad nos transmissa sunt, sedem Augustanam verè reddiderunt augustam, thronis Regiis invidendam. Alterum beneficii genus propiùs res nostras respicit, dum hìc videre erit partem sollicitudinis Pastoralis gratiosè ac providè erga nos administratam, tenues Canoniæ nostræ proventus accessione ac incorporatione perpetua plurium Parochialium Ecclesiarum adauctos, pretiosam animarum curam in iisdem Parochiis nostris concreditam, ac denique magnam frumenti paucis abhinc annis incendio absumpti penuriam liberalitate eximia sublevatam.

Quod attinet adReligionis avitæ candorem, ſplendorem doctrinæ, ac fulgorem ſanctitatis, quibus ab Epiſcopali cathedra, tanquam Pharo quodam, copioſa lux in nos abundanter effuſa eſt, vanum fuerit pluribus immorari, non capit tot laudes pagina, libri & fama loquantur. Quis enim verò ignorat, Narciſſum primum Auguſtanæ ſedis Angelum, è Bavaro moderno ſolo dediſſe primos cœlo ab orbe condito fructus Divam Afram Proto-Martyrem glorioſam, ac Duciſſam ſanctitatis? Quis ignorat Sydus illud Noricum, Decus Canonum, D. Vdalricum, Virum exemplò virtutum & miraculorum gloriâ immortalem, illum, inquam, fidei Athletam invictiſſimum, qui dum Hunnos profligauit, & glires perenni prodigio è ſolo diœceſano exeſſe juſſit, primus ab incunabulis Eccleſiæ promeruit ſpecialē prærogativam, ut primus Sanctorum omnium ſolemni bulla Pontificia Cœlo inſcriberetur? Sed ne id quidem ignorare quempiam exiſtimamus, quanto zelo Antiſtites Auguſtani in reformanda diſciplina eccleſiaſtica, promovendo cultu divino, & conſervando depoſito fidei deſudârint. Teſtes hujus ſunt tot ſynodi celebratæ, conditáque in illis ſaluberrima decreta ac ſtatuta, maximè annis 952. 1255. 1454. 1486. 1520, 1548, 1554. 1557. 1566. 1610. Sinè perturbatiſſimis illis Eccleſiæ temporibus, ineunte ſæculo decimo ſexto, primitus ab Auguſtano Antiſtite Chriſtophoro, jurato ſectarum fidei Catholicæ adverſantium hoſte, adverſus Lutherum

ad

ad arma conclamatum eſt, dum, agente imprimis Ekio, Bullam Leonis X. per diœceſin promulgavit, ut ipſemet teſtatur Ekius, Theologorum ſui temporis Phœnix, Aſceteriíque Pollingani frequens ac diuturnus hoſpes.

Gratulatur ſibi hodiedum Germania Catholica de Othone Truchſeſio S. R. E. Cardinale, qui inſanis hæreſium fluctibus inſtar muri firmiſſimi ſe oppoſuit: hoc ſolum ad cumulum laudum ipſius addidiſſe ſuffecerit, quòd Academiæ Dilinganæ Fundatorem ſe fecerit, ac Diœceſi noſtræ dederit Petrum de Soto primarium Theologum Pontificium in Tridentino Concilio, Virum, cujus in operibus ab Othone tantopere commendatis, ſibi antiqui Patres, & in Patribus primæva Eccleſia reſurgere viſa eſt. Attamen rei adeo prolixæ, & Orbi erudito notæ haud immorandum cenſuimus.

Ad alterum itáque beneficiorum genus tranſitum facimus, quod ſicut Collegio noſtro ſingulare extitit, ita attentionem noſtram meretur ſpecialem: ac licèt ea innumera pene ſint nullò tentanda calculò, licebit tamen eorumdem ſumma relegere Capita, quæ luculenter monſtraverint, Auguſtanos Epiſcopos cum ſummo ac Illuſtriſſimo Canonicorum Eccleſiæ ſuæ ſenatu Pollinganam Eccleſiam feciſſe ſuam.

Primo loco commemorandus venit Waltherus ex Comitibus Palatinis de Tubingen, cujus apud ſe-

 dem

dem Apostolicam authoritate effectum est, ut Canonicus ordo nascenti Ecclesiæ ex summorum Ponificum oraculo coëvus apud nostrates in hunc úsque diem conservaretur, hujus enimverò *precibus se inclinatum* profitetur summus Pontifex Innocentius II., ut per Bullam Pisis datam Anno 1136. Ecclesiam seu Monasterium Pollingense, nec non prædia ac bona eidem collata ac imposterum conferenda *Apostolicæ Sedis privilegio communiverit, statuens* præter alia, *ut vita Apostolica & Ordo Canonicus in eadem Ecclesia perpetuis futuris temporibus inviolabiliter conseruetur.*

Waltherum sequitur Ulscalcus ex Comitibus de Thennenlöe- ab Eschenlohe, qui Anno 1201. Ecclesiam Teittenhausen *ad ampliandas Canonicorum Polling: præbendas, in quibus magnum iam diu passi fuerant defectum*, Monasterio incorporavit.

Ulscalci vestigia sequitur Hartwicus ab Hienheim, qui Anno 1202. Monasterio nostro tres curias in Oderting a Conrado Duce ac Comite de Dachau donatas, quas sinistro instinctu Henricus Miles de Peisenberg sibi appropriare conatus est, auxiliò suô conservavit.

Quartum antiqua nostra monumenta produnt Syfridum ex nobilissima Rechbergiorum Familia, qui Anno 1224. nostros in possessione Ecclesiæ Teittenhausen tuetur coram Ludovico Bavariæ Duce contra Philippum Pes dictum, qui cum patruis suis Henrico & Ottone jus patronatûs super

per

per nominatam Ecclesiam sibi competere praetendebat.

Quintus Sibothò ex Baronibus de Gundelfingen gratiosè annuit, dum nostri possessionem Ecclesiæ Oderting ab Ottone Bavariæ Duce Monasterio Anno 1236. donatæ capiunt, ejusdemque curam suscipiunt in hunc usque diem continuatam.

Sextus in album Benefactorum magis insignium referri meruit Hartmannus ex Comitibus de Billingen & Kyburg, qui *attendens pressuras diversas, quas Monasterium tunc patiebatur, fructus Ecclesiæ Hausen,* cujus jus Patronatus iam antea ad nos pertinuit, *ad usus præbendales perpetuò colligendos & utendos eidem donavit Anno 1272.*

Non minori beneficentia erga nos usus est Degenhardus ex liberis Baronibus de Helenstein & Heidenheim, qui Ecclesiam Parochialem Apfldorff Monasterio incorporavit Anno 1305.

Fridericus Speth de Turnegg adauxit Benefactorum numerum, dum Ecclesiam Parochialem S. Hippolyti M. in suburbio Weilheim Monasterio ad mensam incorporavit Anno 1317. quam firmam esse voluit Henricus à Schönek, antedictam Ecclesiam denuo ad mensam incorporando, Anno 1348.

Decimus Monasterio nostro è cineribus suscitato novas vires contulit Petrus à Schaumberg

S. R. E. Tit. S. Vitalis Presbyter Cardinalis, Pauli II. per Germaniam Legatus à latere, dum ob incendium & incinerationem totius Monasterii, Ecclesiæ, dormitorii & chori Anno 1414. factam, àtque ob debita in sumptuosa & utili restauratione contracta, Ecclesiam parochialem Walleshausen cum omnibus juribus & pertinentiis Monasterio incorporavit, univit ac annexuit Anno 1448.

Undecimus in fastis nostris omnem implet paginam Joannes ex Comitibus de Werdenberg, qui emptiones plurium decimarum, de manibus laicorum factas, nec non donationes juris Patronatus Ecclesiarum Eberfing, Etting, Apfldorff & Witelzhofen confirmavit; omnes anteriores Prædecessorum suorum Episcoporum incorporationes ratas habuit, & Ecclesias sequentes scilicet Polling, Perg, Hausen, Oderting, Teittenhausen, Spazenhausen & Marnbach de novo incorporavit, data facultate, ut dictæ Ecclesiæ, prout jam ab immemoriali tempore factum fuerat, providerentur per Canonicos nostros ad nutum amovibiles Anno 1471. eodem anno de novo incorporavit Ecclesias Etting, Eberfing, Apfldorff, S. Hippolyti, Perchting, Aschering, Pöking, consensitque, ut quatuor priores ex his 7 Ecclesiis per Canonicos nostros regi possint.

Duo-

Duodecimus Reverendissimorum ac Clementissimorum Fautorum nostrorum Fridericus ex Comitibus de Zollern admittit nostros ad actualem curam Parochialium Ecclesiarum Walleshausen, Etting, Apfldorff & Eberfing, consentitque anno 1501. ut hæ Ecclesiæ vel per nostros vel sæculares Sacerdotes tanquam annuales & ad nutum amovibiles Vicarios regi possint in vim Privilegii Apostolici à Paulo II. ac Sixto IV. obtenti.

Decimustertius æternam apud nos promeritus est memoriam Otho Truchsesius S. R. E. Tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, qui nostros admisit ad possessionem & curam hucusque nunquam interruptam Ecclesiæ Parochialis Peisenberg *ab Alberto Bavariæ Duce* Monasterio clementissimè donatæ Anno 1569.

Decimus quartus ex Clementissimis Fautoribus extitit Joannes Christophorus ex liberis Baronibus de Freyberg, qui commendatitiis suis Romam missis, Apostolicum Indultum pro usu Pontificalium obtinendo apud Innocentium XI. gloriosæ memoriæ promovit, Anno 1688.

Ultimum Clementissimæ ac Gratiosissimæ in nos propensionis argumentum posteritati reliquit modernus Reverendissimus ac Serenissimus D. D. *Alexander Sigismundus* Clementissimus D. D. Ordinarius noster ex Serenissima Domo Palatino-Neoburgica, dum Monasterio nostro missâ magnâ

frumenti copiâ liberalissimè subvenit, postquam Anno 1711. d. 29. Augusti cadens de Cælo fulmen horrendo incendio intra paucas horas frumentum omne, spemque œconomicam universam absumpsit.

Hæc sunt *Reverendissimi* ac *Illustrissimi* D. D. *Patroni*, quæ solis forsan Pollingensibus Canonicis hactenus nota, orbi universo palam facere oportebat, ut omnes noscerent, quantùm Augustissimo Augustanæ Ecclesiæ Cathedralis Senatui, Reverendissimo nimirum ac Illustrissimo Capitulo Canonia Pollingana debeat, quantúmve cupiat, favores gratiásq; sibi collatas æterna gratitudine venerari; hanc equidem ipso opere testari conati sunt antecessores nostri, dum non solùm Reverendiss. & Illustriss. D. D. Canonicos Augustanos cunctorum bonorum operum participes voluère, sed insuper se suósque posteros ad celebrandas pro unoquóq; ex gremio Reverendiss. ac Illustrissimi Capituli defuncto Canonico exequias obligârunt: quæ suffragia eò lubentius defunctis hisce nostri impendunt, quò evidentius agnoscunt, quàm arcto vinculo inter se constrictæ sint & Mater & filia, Cathedralis inquam Augustana & Pollingensis Ecclesia, ac tum illius Reverendiss. ac Illustriss. D. D. Canonici, tum hujus minimi Regulares Canonici, quos Ulscalcus Augustanus Episcopus in litteris, anno 1201. ad nostros datis, *dilectos suos fratres* appellare non dubitavit.

At

At verò, quæ defunctis hactenus exsolvimus suffragia, obligationis maximæ ac debitæ erga piissimos manes tantummodo gratitudinis testimonia sunt. Supererat itáque, ut etiam Vivis constaret publicè, quanta erga Eos veneratio ac observantia animis nostris insideat, nec quidquam fini huic aptius visum est, quàm ut præsens opella sub Augusto Augustanorum Cathedralium D. D. Canonicorum patrocinio in publicum prodiret, Eorumdemque inscriberetur Amplissimo, Reverendissimo ac Illustrissimo Senatui. Accipite proin Reverendiss. ac Illustriss. D. D. Patroni hoc, quod maxima cum submissione in æternum debitæ venerationis, observantiæ ac gratitudinis pignus offerimus, exiguum opusculum. Pergite Illustrissima Augustanæ Diœcesis Sydera gratiarum radios in minimos vestros famulos, Pollingenses Canonicos, dispensare, qui & gloriam & felicitatem suam maxima ex parte in eo collocant, quòd a primis Monasterii incunabulis Ecclesiæ Augustanæ Matri adeo Augustæ ac Propitiæ, semper fuerint subditi, commissuri certè nunquam, ut a tam benignæ Matris sinu quoquo modo se abstrahi patiantur: néque enim decet, ordinem ex essentia Clericalem, & partem quondam sollicitudinis Pastoralis a corpore Hierarchiæ Ecclesiasticæ tantopere separari: Sinite potiùs, ut liceat nobis sub amabili umbra pastoralis providentiæ, gratiosissimæ benevolentiæ, Protectionisque Vestræ

per-


perpetuò ac securè quiescere. Nostrum porrò erit supremo Numini ardentissimis votis indesinenter supplicare, ut ejusdem opitulante gratia Augustana Ecclesia indies augustior evadat, Orbisque sciat universus, quantùm Reverendiss. ac Illustriss. D. D. Cathedralibus Canonicis cordi sit, ut Dei T. O. M, honor jugiter augeatur, Ejusque per Diœcesin intra Asceteria reclusi famuli gratiosis suis favoribus perpetuò foveantur, sicque iidem necesse habeant tot venerari amantissimos Patres, quot numerant Reverendiss. atque Illustriss. D. D. Canonicos, id quod jam nunc publicè profitentur

Reverendiss. ac Illustriss.
D. D. Vestrarum

humillimi ac devotissimi famuli

Canonici Regulares
ad S. Salvatorem
Pollingæ.

APPRO-



LICENTIA.

THeſes hæ Philoſophicæ à duobus Theologis Collegii noſtri lectæ ſunt, cúmque nihil contra fidem aut bonos mores, ſi in ſenſu obvio, ab Authore intento, & in contextu operis ſatis expreſſo intelligantur, continere inventæ ſint; ipſe etiam Author Orthodoxiam ſuam tum in ſcriptis, tum in diſputationibus publicis ſufficienter monſtraverit, easdem pro bono Reipublicæ litterariæ in lucem publicam exire permittimus. Actum Pollingæ, d. 21. Deçembris 1722.


Albertus ad S. Crucem, Pollingæ Præpoſitus, Abbas Lateranenſis, SS. Theologiæ Doctor.

AD LECTOREM.

T*Heses hæ tria Tibi Systemata offerunt, Amice Lector, Philosophiæ unum, alterum Artis Criticæ, tertium verò systema Physicum Terræ quiescentis. In systemate Philosophiæ id me egisse arbitratus sum, ut principia Scholæ Peripateticæ, in vastis voluminibus dispersa, in unum Systema collegerim, eaq; methodo Neotericorum coaptârim. Occurrent quidem in Metaphysica propositiones, quæ, si à contextu separentur, videntur habere sensum ambiguum; sed si contextus inspiciatur, poterit facilè intelligi, quam mentem, quémve sensum verbis ambiguis subjiciam, eum nempe, qui ad mentem D. Thomæ & Scoti quàm proximè accedit; certè nullum alium sensum intendo, nec in alio sensu verba mea explicari peto. Quòd si tamen in aliquo à vero, aut propria Scholarum locutione, quod humanum est, recessero, singulas assertiones Judicio Ecclesiæ Romanæ filius obsequentissimus submitto.*

SYSTEMA PHILOSOPHIÆ.

Autore R. D. Eusebio Amort Canonico Regulari Lateranensi Pollingano Philosophiæ Professore.



PROŒMIUM.


Ot inter hominum ſtudia omnibus tamen finis unicus eſt, ad quem collimantes alia perſequuntur, alia fugiunt; is verò, ut uno verbo dicam, felicitas, aut ejus pars aliqua eſt.

Præcipuè verò omnium Philoſophorum in hoc, ut apprehenderent beatam vitam, commune ſtudium fuit: hæc una Veteribus cauſa Philoſophandi fuit.

Multi quidem totum hominem, jumentorum inſtar, morte diſſolutum iri contendentes beatitatem ſuam in præſentis vitæ illecebris quæſierunt; ſed viden! quanta mortalibus incumbat philoſophiæ neceſſitas, ſine qua ne quidem gregi huic beatè vivere licuit! nempe voluptas illa, quæ è ſapientiæ honeſtatisque ſtudio naſcitur; ſuavius mentem, quàm potens ſenſuum cupiditas, ferit: aut ſi adeo ſuave ſit cedere cupiditati ſenſuum,

præſtat ex mutuo rationis ad concupiſcentias conſenſu animi ſimul ac corporis delitiis frui; quin, cùm fortuna de his corporum delitiis paucis provideat, dura quædam neceſſitas, ac reipublicæ tranquillitas pleroſque voluptate animi contentos, ac beatos eſſe jubet; at ne quidem paucis oblectationes ſenſuum ſine innumeris ſpinis obtigerunt; hinc animus immobili quodam habitu muniendus, quo ad omnia ſiniſtræ fortunæ tela inſenſibilis redditus, jucundiſſima tranquillitate perpetuò perfruatur: accedit, quod Philoſophia in ſua Politica rectam rationem adminiſtrandi rempublicam, in œconomia modum curandi res domeſticas, in Ethica leges ſervandi civilem ſocietatem, in Medicina ſubſidia ſervandi ſanitatem corporum; in Matheſi utiliſſimas humano generi artes doceat.

Adhuc evidentius Philoſophia indigent, qui poſt mortem animabus ſupplicia aut præmia parari arbitrantur; hi enim non tantum ſolent venari eam, quæ in hoc præſenti mundo eſt, beatitatis umbram; ſed conantur inſuper ſapientiæ ac virtutum dono Dei ſimilitudinem ac amicitiam conſectari, ut in altero mundo beati reddi mereantur; cumque nullo alio, niſi humanæ Rationis, Magiſterio

gisterio ad tantas spes instituti sint, indigent profectò immensò veritatis studio.

Tertia & maxima hominum pars illorum est, qui non solùm credunt animabus post mortem æterna parari præmia aut supplicia, sed etiam artem consequendi æternam beatitudinem divino Magisterio se edoctos esse probant; docent, ante omnia amandum ac colendum esse Deum, dein amandos esse homines, præsertim parentes, magistros, magistratus ac Reges; hinc naturam propriam, quæ amore commodi proprii amorem Dei ac proximorum impedit, perpetuò refrænandam, & à felicitate temporali abstractam ad æterna bona convertendam esse verissimè dixit, qui hujus Sectæ Philosophiam nil aliud, nisi divini amoris studium esse pronuntiavit; huic enim Deus summum bonum; ejus possessio summa felicitas est; igitur & ejus amorosa inquisitio philosophorum occupatio est.

Porrò Philosophia hæc à suis cultoribus trifariam divisa est. In prima Parte admittitur solùm divinum Magisterium; nil docetur, nisi quod ex ore revelantis Dei traditum est: hæc pars vocatur Theologia Dogmatica. In secunda Parte præter vocem revelantis Numinis auditur insuper humana ratio; ratio

nempe ex certis signis monstrat, Philosophiam hanc reverà à Deo hominibus traditam esse, eam omnibus aliorum sectatorum philosophiis sapientiorem, & in omnibus suis partibus principiis rectæ rationis conformem esse; explicat obscura, dissolvit dubia, & è verbo Dei justa connexione certa deducit consectaria, ac denique circa veritates, quæ ad sacra dogmata quadam familiaritate connexæ sunt, propriis viribus latius discurrendo honestissimè occupatur. Hæc pars vocatur Theologia Scholastica. In tertia Parte attenditur sola Ratio. Hìc traditur modus perveniendi ad scientias ac veritatem; explicatur natura omnium entium, rerumque ordo panditur; diriguntur actiones humanæ ad bonum reipublicæ, familiæ, ac civilis societatis; traduntur utilissimæ humano generi artes, nec quidquam negligitur, quod aut corpori aut menti ad obtinendam veram felicitatem servire possit. Hæc pars sine addito Philosophia nuncupatur.

Igitur, omnium sectarum consensu, Philosophia est rerum divinarum, humanarumque, prout ductu rectæ rationis cognosci possunt, ad veram hominum felicitatem conducens notitia.

Con-

Consequens ergo est, 1. ut in Philosophia attendamus solam Rationem, ac experientiam, quæ tamen veritati divinitus revelatæ nunquam opponitur. 2. Ut dimittamus quæstiones ad veram felicitatem parum conducentes, & negligamus illas Eruditionis minutias, sine quibus solida ac salutaris scientia facile obtineri potest. 3. Ut contenti simus qualicunque earum rerum notitia, quarum scientia haberi non potest; in incertis nil affirmando, sed dubitando. 4. Ut omne fere studium transferamus ad doctrinam, è cœlo hominibus traditam, postquam agnoverimus, humanam rationem, de reparanda suis viribus felicitate desperantem, ad eandem nos dirigere.

Hanc Philosophiam; si placet, jam aggrediamur; integrum illius conspectum sequens tabula exhibebit.



CON-

CONSPECTUS
TOTIUS PHILOSOPHIÆ.

Pars 1.

Logica
seu
Ars Loquendi.

In hac traditur modus cum philosophis, qui habent peculiarem linguam, aptè colloquendi.

Pars 2.

Metaphysica
seu
Ars intelligendi.

In hac traditur modus formandi genuinam ideam de omni ente, ac speciatim, de re creata, ac increata; corporea, ac incorporea; de substantia ejusque partibus materia, & forma; de accidente, quantitate, loco, tempore, motu, actione, cognitione, volitione, libertate &c.

Pars 3.

Physica
seu
Cognitio Naturæ.

In hac traduntur principia ac causæ omnium effectuum naturalium; agitur de cœlis, de elementis, de metallis ac fossilibus, de plantis & arboribus, de animalibus, ac præcipue de natura hominis.

Pars 4.
Ethica
ſeu
Actionum humanarum ad civilem ac beatam vitam Inſtitutio.

Pars 5.
Oeconomica
ſeu
Ars curandi res domeſticas.

Pars 6.
Politica
ſeu
Ars adminiſtrandi rempublicam.

Pars 7.
Matheſis
ſeu
Ars numerum, vires, motum, ac magnitudinem corporum dimetiendi.

Pars 8.
Medicina
ſeu
Ars curandæ ſanitatis.



LOGICA.

Sectio I.

De Terminis.



Uando dico; *Murus est albus*, aliquid affirmatur de Muro, nempe Albedo: Quando dico; *Murus non est niger*, aliquid negatur de Muro, nempe Nigredo. Omnis talis affirmatio aut negatio alicujus rei de aliqua re vocatur *Propositio*: Id, quod affirmatur aut negatur, v. g. hîc Albedo, aut Nigredo, vocatur *Prædicatum*: Id, de quo aliquid affirmatur aut negatur, v. g. hîc Murus, vocatur *Subjectum*: particula *Est*, per quam aliquid affirmatur de alio, vocatur *Copula*: omnis vox, ex qua potest fieri aliquod subjectum aut prædicatum; v. g. Murus, albus, vocatur *Terminus*. Propositiones, in quibus nullum subjectum aut prædicatum explicitè ponitur, debent exponi; v. g. hæc propositio; *Pluit*; debet sic exponi; Deus est pluens: *Petrus sedet*; Petrus est sedens.

Significativus Terminus vocatur, qui ex institutione hominum aliquid significat, ut *Homo*.

Non significativus, qui ex institutione hominum nihil significat, ut *Plictri*, *Hircocervus*, *Vulpanser*.

Singularis, qui solùm de una numerò re dicitur, ut *Petrus, Deus, hic homo*.

Commu-

Communis, qui de pluribus dicitur, ut *Homo*, qui dicitur de Petro & Paulo.

Categorematicus, qui se solò constituit Subjectum, aut Prædicatum; ut, si dico: *Petrus est homo*; Petrus & Homo sunt termini Categorematici.

Syncategorematicus, qui se solò non potest constituere Subjectum aut Prædicatum; tales termini sunt adverbia; ut si dico, murus est *Bene* constructus.

Infinitus, cui præponitur particula *Non*, ut, *Non lapis*.

Univocus, qui dicitur de pluribus in eodem sensu, ut *homo* de Petro & Paulo; *animal* de Cane & Equo.

Æquivocus, qui dicitur de pluribus in diverso sensu; ut *Canis* de stella, de pisce, & Molosso.

Analogus, qui dicitur de pluribus in diverso sensu, sed tamen cum aliqua proportione, aut similitudine; ut *homo* de Petro, & de ejus imagine picta; *sanum* dicitur de Medicina, cibo, urina, colore vultûs.

Transcendentalis, qui dicitur de omni re possibili, ut *Ens, Unum, Verum, Res, Aliquid, Bonum.*

Prædicamentalis, qui non dicitur de omni re possibili, sed tantum de certa classe entium, ut esse *Quantum, coloratum.*

Complexus, cujus partes seorsim idem significant, quod conjunctim; ut *Romana Civitas*. Respublica est terminus *incomplexus*.

Connotativus, qui significat rem cum relatione ad aliam; ut *Cœna* significat comestionem cum relatione ad tempus vespertinum: *Dominus* significat hominem cum relatione ad servum; hic terminus etiam vocatur relativus; *Homo* verò, *Equus* &c. sunt termini *absoluti*.

Concretus, seu *Concretivus*, qui significat compositum ex subjecto & forma; ut *Album* significat rem cum albedine. Quando compositum non est accidentale, vocatur *Quidditativus*; ut *Homo*, seu res habens animam rationalem;

quando compositum est accidentale, vocatur *Denominativus*, ut *Album*, seu res habens albedinem.

Abstractus, qui significat solam formam, ut *Albedo*, *humanitas*.

Primò Intentionalis, qui convenit rei, ut ea est à parte rei; ut *Petrus est homo*; Petrus est primò intentionalis.

Secundò Intentionalis, qui convenit rei, mediante aliqua cognitione, ut, *Petrus est terminus singularis*, *Petrus est subjectum*, Petrus est terminus secundò intentionalis; quia Petrus secundum se nec est terminus, nec subjectum.

Universaliter supponere terminus dicitur, quando dicitur de omnibus suis significatis; ut si dico, *Omnis homo est rationalis*; Homo supponit universaliter pro Petro, Paulo &c.

Particulariter, quando non dicitur de omnibus suis significatis, sed tantum aliquibus; ut si dico, *Aliquis homo currit*.

Distributivè, quando dicitur de omnibus suis significatis singillatim, ac copulative acceptis, ut si dico: *Omnis homo est rationalis*; verum est; Petrus est rationalis, & Joannes.

Collectivè, quando dicitur de omnibus suis significatis simul acceptis; ut si dico; *Petrus & Paulus sunt duo*; Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes sunt omnes Evangelistæ.

Disjunctivè, quando tantum dicitur de aliquo indeterminato; ut, *Aliquis homo currit*; vel Petrus, vel Paulus &c. quando illud indeterminatum nunquam potest determinari, dicitur supponere *disjunctim ac Confusè*; ut si dico; *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*, calamus ad scribendum.

Terminus *Est in Statu*, quando sumitur pro tempore per copulam importato, ut *Petrus est armatus*; sensus est, quod tempore præsenti sit armatus.

Ampliatur, quando sumitur pro omni tempore, ut si dico, *Petrus est homo*; hoc enim verum est omni tempore, quocunque Petrus existit.

Distrahitur, quando sumitur pro alio tempore, quàm quod per copulam

copulam importatur; ut *cæci vident, claudi ambulant*; sensus est, qui fuerunt cæci, vel claudi.

Restringitur ac diminuitur, quando ab ampliori significatione ad arctiorem contrahitur, ut *Homo sapiens* agit patienter & fortiter; Homo hîc non sumitur in tota amplitudine.

Alienatur, quando transfertur à propria significatione ad impropriam; ut *Prata rident*.

Appellat ad alium terminum, quando cum illo conjungitur sensu: ut si dico *Alexander Magnus fuit philosophus*; Tò *Magnus* appellat ad Alexandrum; quando verò dico, *Plato magnus fuit philosophus*; Tò Magnus appellat ad Philosophum.

In sensu accommodo terminus sumi dicitur, quando à termino universali fit exceptio; ut *Cœlum tegit omnia*; excipitur ipsum cœlum. *Omnes peccaverunt in Adamo*. Excipitur Christus.

In *sensu stricto* sumitur, quando à termino universali nulla fit exceptio.

In sensu Reduplicativo sumitur, seu

Reduplicativè; quando prædicatum subjecto tantùm tribuitur sub certa aliqua ratione; ut *Petrus musicus est laudabilis, inquantum est musicus*; Sartor pingit, quà pictor; non quatenus est sartor.

In *sensu Denominativo* sumitur, seu

Denominative; quando prædicatum tribuitur subjecto ratione sui; ut *homo justus septies in die cadit*; nempe homo, qui est justus; non quatenus est justus; Petrus piscator docet, nempe, qui est piscator; non quatenus est piscator.

Pro singulis generum sumitur, quando terminus universalis sumitur pro omnibus ac singulis contentis sub genere; ut *Omne animal movetur*.

Pro generibus singulorum sumitur, quando sub termino universali tantùm comprehenduntur genera ac species; ut, *Omne animal fuit in arca Noe*; id est, omnia genera ac species animalium.

Secundum quid sumitur, quando terminus amplioris significationis restringitur ad certum locum, tempus, partem &c, ut *Æthiops est albus, secundùm dentes.* Sine tali addito dicitur sumi *simpliciter.*

Materialiter sumi terminum est fere idem, ac eundem sumi denominativè; & *Formaliter* sumi idem est, ac Reduplicativè.

Monendum hic à principio censeo, neminem immorari debere iis, quæ in Logica traduntur; Exercitatio dabit intelligentiam.

Sectio 2.

De Propositione.

Composita propositio dicitur, quæ è pluribus propositionibus per particulam *Et* componitur; vocatur etiam *Copulativa*; ut, *Petrus sedet & studet*; Petrus studet,& Paulus dormit.

Disjunctiva, quæ è pluribus per particulam *Vel* componitur; ut *Petrus vel studet vel dormit.*

Conditionalis, seu *Hypothetica*, cui apponitur conditio; ut, *si Pons ruet, peribis.*

Categorica seu *Absoluta* est; quæ sine conditione profertur, ut, *Peribis.*

Causalis, cui apponitur causa, ut *quia voluit, periit.*

Modalis, cui apponitur Modus; ut; *Petrus Necessario est homo*; Petrus *impossibiliter* est equus; Petrus *Possibiliter*, aut *Contingenter currit*; Petrus *velociter* currit.

Exclusiva, cui apponitur particula exclusiva, ut *Tantùm* Petrus studet.

Exceptiva, cui apponitur particula exceptiva; ut, Omnes *præter* Petrum student.

Reduplicativa, cui apponitur particulare duplicativa; ut, Petrus, *inquantum* Musicus, laudatur.

In materia necessaria, quando prædicatum necessario convenit subjecto; ut, Petrus est homo.

In materia contingenti, quando prædicatum non necessariò convenit subjecto, ut, Murus est albus.

Universalis, quando subjectum est universale, ut, Omnis homo est rationalis.

Particularis, quando subjectum est particulare; ut, Aliquis homo currit.

Indefinita, quando subjectum est indefinitum; ut, homo currit.

Singularis, quando subjectum est singulare; ut, Petrus currit. Hæc subjecti Universalitas, aut Particularitas vocatur propositionis Quantitas.

Affirmativa, aut *Negativa*, in qua aliquid affirmatur, aut negatur; ut Petrus studet; Petrus non studet; talis affirmatio aut negatio dicitur propositionis Qualitas.

Opposita, quæ cum alia propositione, habente idem prædicatum & subjectum, non convenit in Quantitate vel Qualitate; ut, Murus est albus, Murus non est albus, opponitur in qualitate. Hæc differentia propositionum vocatur Oppositio.


Contradictoria, quæ cum alia propositione nec in Qualitate, nec in Quantitate convenit; ut Omnis homo currit, Aliquis homo non currit.

Contraria, quæ cum alia propositione universali tantùm non convenit in qualitate; ut, Omnis homo currit, Nullus homo currit.

Subcontraria, quæ cum alia propositione particulari tantum non convenit in qualitate; ut, Aliquis homo currit, Aliquis homo non currit.

Subalterna, quæ cum alia propositione tantum non convenit in quantitate; ut, Omnis homo currit, Aliquis homo currit. Prior universalis propositio vocatur subalternans; posterior subalternata.

Omnis



Opposita de Lege, seu *Exlex*, quæ in recensito Oppositionis schemate non comprehenditur; ut, Petrus currit, Petrus non currit; Murus est albus, Murus non est albus.

Æquipollens, quæ alteri propositioni quoad sensum æquivalet: ut, Aliquis homo non currit; Non omnis homo currit.

Conversio propositionis est subjecti cum prædicato commutatio; ut, Omnis homo est animal; Aliquod animal est homo. Prior propositio vocatur Conversa; posterior Convertens.

Copulativa propositio ad sui veritatem requirit veritatem omnium partium, ut si dico, Petrus sedet & studet; ad veritatem propositionis requiritur, ut simul sedeat & studeat.

Disjunctiva solùm requirit veritatem unius partis; ut si dico, Petrus vel dormit, vel studet; sufficit, si studeat.

Condi-

Conditionalis nullius partis absolutam veritatem, sed solam partium connexionem requirit; ut: si sol lucet, dies est. Hæc propositio etiam nocte vera est.

Causalis requirit veritatem utriusque partis, & connexionem earundam; ut; Quia voluit, periit. Ad veritatem propositionis requiritur; 1. ut voluerit, 2. ut perierit. 3. ut ideo perierit, quia voluit.

Modalis requirit veritatem rei principalis, & modi; ut si dico; Petrus velociter currit; requiritur ut currat, & ut velociter currat.

Reduplicativa idem requirit, quod causalis.

Contradictoria præcisè id affirmat, quod altera negat. Hinc contradictoriæ nequeunt simul esse veræ, aut falsæ.

Contraria plus affirmat, quàm altera negat; aut vicissim; hinc contrariæ, licet non possint simul esse veræ, possunt tamen simul esse falsæ.

Subcontrariæ possunt simul esse veræ.

Subalternantis veritas continet veritatem subalternatæ; non tamen vicissim. Falsitas autem subalternatæ continet falsitatem subalternantis; non vicissim.

Conversio simpliciter fieri dicitur, quando servatur eadem quantitas propositionis; ut; Nullus homo est lapis, nullus lapis est homo; talis conversio fit in omni propositione universali negativa, & particulari affirmativa.

Conversio per accidens fieri dicitur, quando non servatur eadem quantitas propositionis; ut, Omnis homo est animal: Aliquod animal est homo. Talis conversio fit in omni propositione universali affirmativa.

Sectio 3.

De Definitione, & Divisione.

Definitio est propositio, explicans naturam, seu partes constitutivas rei.

Metaphysica vocatur, cujus partes de se invicem prædicantur in recto: ut, homo est animal rationale.

Physica, cujus partes non prædicantur de se invicem in recto; ut, homo est corpus, anima, & earum unio. Utraque tam physica quàm metaphysica vocatur *Essentialis*, quia explicat partes essentiales.

Accidentalis, quando solum explicantur partes accidentales; vel quando explicatur solùm Totum Compositum accidentale; ut, homo est animal bipes, implume, habens latos ungues.

Causalis, quæ fit per causam rei vel materialem, vel efficientem, vel finalem: ut, homo est animal creatum e limo ad colendum Deum.

Descriptiva, quæ desumitur à proprietatibus, accidentibus, aut circumstantiis rei; ut, homo est animal risibile, politicum, scientiæ capax.

Definitio Nominis est, quando explicatur vocis significatio; ut Centaurus est monstrum marinum, dimidia parte humanum, dimidia equinum.

Definitio bona servet sequentes regulas:

1. *Sit clarior suo definito; non obscura.*
2. *Sit brevis*; nil continens superflui, ob quod in definitione non probantur particulæ Copulativæ *Et*, aut Disiunctivæ *Vel*.
3. *Sit convertibilis simpliciter cum definito*: ut, omnis homo est animal rationale, omne animal rationale est homo.
4. *Conveniat Omni, & Soli*, definito. Ut: homo est animal rationale, convenit omni homini, & soli homini.
5. *Constet genere proximo, & differentia ultima.* Genus proximum vocatur illud prædicatum, per quod res definita cum aliis entibus, quàm fieri potest, paucissimis convenit. Differentia ultima vocatur illud prædicatum, per quod ab omnibus aliis entibus ultimatò differt. Ut, homo est animal rationale; animal est genus, per quod homo adhuc convenit cum bestiis; rationale est differentia, per quam ab omni ente differt. Si dixissem: homo est ens risibile, non foret

bona

bona definitio ; quia Ens foret genus nimis remotum ; & risibile præsupponit in homine aliud prædicatum, nempe rationalitatem, per quam homo ab aliis entibus ultimatò, seu ut alii loquuntur, primò differt.

6. *Quidquid potest dici de definito, debet etiam posse dici de definitione, & vicissim.* Ut, si possum de homine dicere, quod sit imago Dei; debeo hoc etiam posse dicere de animali rationali.

Observandum est circa definitiones.

1. *Res simplices*, quæ nullas habent partes, *definiri non posse*; v. g. albedo, lux; ista enim entia experientia sensuum, non descriptione animo innotescunt; definitio ac descriptio solùm iis prodest, quibus partes rei definitæ jam aliunde notæ sunt.

2. *Genus non adeo strictè requiri in definitionibus* maximè compositorum accidentalium, aut moralium ; finis enim definitionis plerumque est, ut discernamus rem definitam ab aliis entibus, quod fit quandoque per solam differentiam. Ut si dicerem, homo est quid rationale.

3. *Dependere à judicio prudentum, quot & quales partes genericæ aut differentiales in definitione exprimi debeant*; cùm enim definiens velit explicare naturam rei intelligibiliter, ad hoc unum attendere debet, ut afferat prædicata nota, nec debet curare, an illa prædicata pertineant ad genus proximum, aut remotum. Ob eandem causam prudentia quandoque exigit, ut afferantur plura prædicata generica; solet enim interdum aliquod prædicatum specialem mereri attentionem, & ob hoc exprimi in definitione, licet alioquin posset omitti, aut convenientius prædicatum assignari. Quare attendi debet ad finem definitionis & definientis.

4. *Plerasque definitiones esse aut descriptivas*, aut certè minus exactas; quia aut partes essentiales parum nobis notæ sunt; aut earum ordo & meritum in definitione determinari non potest; quis enim neget hominem æquè definiri posse, Ra-

tionativum animale, ſicut modo definitur animal rationale? adeoque de definitionibus multùm litigandum non eſt, cùm ejusdem rei poſſint fieri diverſæ definitiones.

5. *Definitiones temporum viciſſitudine mutationi obnoxias eſſe*: Quia aliqua compoſita, maximè accidentalia & moralia, mutant partes quasdam eſſentiales; quibus mutatis, neceſſe eſt etiam definitiones mutari; quandoque ſucceſſu temporum aliquæ partes eſſentiales compoſiti, quæ prius ignotæ erant, de novo reteguntur; interdum aliquæ partes eſſentiales, dudum quidem cognitæ, ſed neglectæ, incipiunt noſtro tempore fieri notabiles, atque attentione dignæ; igitur clarum eſt, eas in definitione nova exprimi poſſe.

Diviſio eſt totius in ſuas partes diſtributio; ut, Animal aliud eſt rationale, aliud irrationale. Animal, quod dividitur, vocatur diviſum. Rationale & irrationale, in quæ animal dividitur, vocantur membra dividentia.

Actualis diviſio vocatur, cujus partes actu conſtituunt totum; ut hominis alia pars eſt corpus, alia anima. Tale totum vocatur actuale.

Potentialis, cujus partes non neceſſario actu conſtituunt totum; ut animal aliud eſt rationale, aliud irrationale; tale totum vocatur potentiale.

Univoca, cujus partes univocè participant rationem diviſi. Ut animal aliud eſt equus, aliud leo. Quando verò diceretur, canis alius eſt cœleſtis; alius terreſtris; diviſio foret æquivoca.

Accidentalis, in qua enumerantur partes accidentales; ut homo alius eſt Europæus, alius Africanus.

Diviſio bona ſervet ſequentes regulas:

1. *Diviſum ſit majus quavis parte dividente.*
2. *Membra dividentia adæquent diviſum.*
3. *Membra dividentia inter ſe pugnent*, ita ut unum non includatur in altero; hinc mala foret diviſio, ſi Europam dividerem in Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, & Bavariam.

4. Divi-

4. *Divisio sit brevis, & utilis.*

Hæc ultima divisionis regula est præcipua; bonitas enim divisionis dependet à fine divisionis & dividentis; hinc solùm in divisione recenseri debent illæ partes, quæ ad scopum dividentis serviunt; nec probantur multæ subdivisiones partium; finis divisionis alius esse non debet, nisi ut illas totius compositi partes continuò ante oculos habeamus, quarum consideratio ad discursum intentum ac systema coordinandum necessaria est. *Suprema divisionis regula prudentia esto.*

Sectio 4.

De Syllogismo.

Syllogismus vocatur discursus, in quo infertur unum ex alio; ut, Omnis homo est mortalis
Petrus est homo
Ergo Petrus est mortalis.

In omni tali Syllogismo dantur *Tres Propositiones*, & *Tres Termini.* Prima propositio vocatur *Major*; Secunda *Minor*; Tertia vocatur *Conclusio*, aut Consequens. Prima & secunda propositio simul sumptæ, vocantur *Præmissæ.* In præsenti exemplo tres termini sunt 1. *Homo.* 2. *Mortalis.* 3. *Petrus.* Terminus, qui in præmissis bis recurrit, ut *Homo*, vocatur *terminus Medius.* Reliqui duo termini vocantur *Extrema.* Ille, qui in majori prædicatur, ut Mortalis, vocatur *extremum Majus*; alter terminus, qui in Minori subjicitur, vocatur *Minus extremum*, ut, Petrus. Conclusionis cum Præmissis connexio vocatur *Consequentia.*

Categoricus Syllogismus est, in quo omnes propositiones sunt categoricæ, ut,

Omnis homo est mortalis
Petrus est homo
Ergò Petrus est mortalis.

Hypotheticus est, in quo reperitur propositio hypothetica, seu Conditionalis, ut,

Si sol lucet, dies est
Sed sol lucet
Ergo dies est.

Enthymema est syllogismus imperfectus, constans duabus propositionibus, ita ut tertia subintelligatur; ut

Petrus est homo
Ergo est mortalis,
Vel, Sol lucet
Ergo dies est.

Exemplum est Argumentatio ab exemplo, ut;

Ebrietas Alexandrum perdidit
Ergo & te perdet.

Inductio est Argumentatio ab enumeratione partium; ut

Europæi, Asiani, Africani, & Americani sunt mortales, ergo omnes homines sunt mortales.

Sorites est propositionis unius ex alia per plures medias propositiones facta illatio, ut

Amor vanitatum parit pigritiam,
Pigritia parit ignorantiam,
Ignorantia parit in malo pertinaciam,
Pertinacia parit damnationem,
Ergo amor vanitatum parit damnationem.

Syllogismus Primæ figuræ dicitur, quando medius terminus in præmissis semel subjicitur, & semel prædicatur; ut

Omnis homo est mortalis
Petrus est homo
Ergo Petrus est mortalis.

Syllogismus Secundæ figuræ dicitur, quando medius terminus in præmissis bis prædicatur, ut

Omnis homo est rationalis
Nullus equus est rationalis
Ergo nullus equus est homo.

Syllo-

Syllogismus Tertiæ figuræ est; quando medius terminus in præmissis bis subjicitur, ut

Omnis homo est creatura
Omnis homo est animal
Ergo aliqua creatura est animal.

Principia Syllogismi sunt duo: 1. *Quæcunque identificantur cum uno tertio, identificantur inter se*; &, Quæcunque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se. v. g. Petrus, & mortale identificantur cum Homine, Ergo etiam identificantur inter se. Homo identificatur cum Rationali, Equus non identificatur cum rationali, ergo neque identificantur inter se homo & equus. 2. *Dictum de omni, & dictum de nullo*, id est, Quidquid dicitur de omnibus, dicitur etiam de singulis. Si dico de Omni homine, quod sit rationalis, debeo hoc etiam dicere de Petro; qui comprehenditur inter omnes homines.

Generalis omnium Syllogismorum *Regula* est, quod *Conclusio debeat contineri in una Præmissarum*. v. g. Hæc conclusio; Ergo Petrus est mortalis, continetur in illa propositione; Omnis homo est mortalis; altera propositio; Petrus est homo; tantum mihi ostendit; Conclusionem contineri in majore; in quantum ostendit, inter omnes homines comprehendi etiam Petrum. Hinc una Præmissarum vocatur *Continens*; altera *Applicans*. Omnis Syllogismus, in quo servatur hæc regula, bonus est; in quo non servatur, malus.

Addi possunt sequentes regulæ:

1. *Medius terminus in una præmissarum distribuatur*; hinc malus est sequens syllogismus:

Aliquod animal est rationale
Equus est aliquod animal
Ergo equus est rationalis.

2. *Terminus non distributus in præmissis non potest distribui in conclusione*; hinc male infertur:

Omnis

Omnis homo eſt animal
Nullus equus eſt homo
Ergo nullus equus eſt animal.

Quia animal in majori ſupponit disjunctive; in concluſione diſtributive.

3. *Concluſio ſequitur debiliorem partem*; id eſt, ſi una præmiſſarum fuit negativa, etiam concluſio ſit negativa; hinc male diceretur:

Homo eſt rationalis
Equus non eſt homo
Ergo equus eſt rationalis.

4. *Ex duabus præmiſſis particularibus nihil ſequitur*, ut
Aliquod animal eſt rationale
Aliquod animal eſt irrationale
Ergo aliquod rationale eſt irrationale.

5. *Ex meris negativis* propoſitionibus *nihil ſequitur*, ut
Nullus equus eſt rationalis
Nullus homo eſt equus
Ergo nullus homo eſt rationalis,

6. *In Syllogismo non reperiantur plures, quàm tres termini*, ut
Omnis Canis eſt latrabilis
Stella eſt Canis
Ergo ſtella eſt latrabilis,

Hic enim Canis, cum habeat duplicem ſenſum, æquivalet duobus terminis; ac proin addendo reliquos duos terminos; latrabilis, & ſtella, dantur in hoc Syllogismo quatuor termini.

Igitur illi Syllogismi, in quibus non ſervantur hæ regulæ, *formaliter*, id eſt, vi formæ, ac univerſaliter boni non ſunt. Licet aliquando ſint boni *materialiter*, id eſt, in certis materiis, non vi artificii ſyllogiſtici.

Sectio

Sectio 5.

De Inventione.

Inventio Medii termini, seu Argumenti sumitur

1. *à Causa* materiali, formali, efficiente, vel finali. v. g. *à Materiali*, Petrus nec habet ligna, nec lapides, ergo non ædificat. *à Formali,* Simia non habet animam rationalem, ergo non est homo. *Ab efficiente*, Architectus peritus est, ergo ædificium est bonum. Non datur architectus, ergo nec ædificium. *à Finali,* Finis justitiæ bonus est, ergo & justitia bona est. Vel: non datur causa ambulandi, ergo non est ambulandum.
2. *Ab Effectu*, ut; Opus laudatur, ergo & artifex.
3. *à Genere, & Specie*, ut; Lapis non est animal, ergo nec homo. Vel: Petrus est homo, ergo etiam animal.
4. *à Proprio*, ut, Petrus est risibilis, ergo est homo.
5. *Ab Adjunctis, accidente*, ac *circumstantiis*, ut, venit Canis Tobiæ, ergo & Tobias.
6. *à Contrario*, ut, Bellum nocet, ergo pax prodest.
7. *à Simili*; ut, servus Domino servit, ergo & homo Deo.
8. *Ab Etymologia Nominis*; ut, Homo ab humo dictus est, ergo se humiliet.
9. *à Definitione*, ut, Simia non est animal rationale, ergo nec homo.
10. *à Divisione*, ut, Phœnix nec reperitur in Europa, nec in Asia &c. ergo nec in mundo.
11. Ab *Authoritate*, ut, Deus dixit, post mortem dari aliam vitam, ergo datur.

Hæc argumentorum principia vocantur *Loci Topici*; circa hos prodita sunt sequentia axiomata:

1. *Circa Causas.*

   Sublata causa, tollitur effectus.

   Qualis est causa, talis est effectus.

Qualis eſt effectus, talis eſt cauſa.
Cujus finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.
Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.
Poſita cauſa, ponitur effectus.
Cauſa nobilior eſt ſuo effectu.
Cauſa eſt prior ſuo effectu.
Cauſa & effectus ſimul ſunt.

2. *Circa Effectus.* Poſito effectu, ponitur cauſa.
Cujus generatio bona eſt, ipſum quoque bonum eſt.
Cujus corruptio bona eſt, ipſum malum eſt.
Cujus uſus bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.
Cujus uſus malus eſt, ipſum quoque malum eſt.

3. *Circa Genus & Speciem.*
A quo removetur genus, removetur & ſpecies.
Quod convenit generi, convenit & ſpeciei, ſed non viciſſim.

4. *Circa Proprium.*
Proprietates ſequuntur Naturam.
Proprietates arguunt Naturam.

5. *Circa adjuncta.*
Quæ regulariter conjuncta ſunt, præſumuntur eſſe conjuncta.
Quæ regulariter antecedunt, præſumuntur antecedere.
Quæ regulariter conſequuntur, præſumuntur conſequi.
Qualia ſunt adjuncta, talis præſumitur res.
Quæ toties fere ſunt conjuncta, quoties non ſunt conjuncta, non fundant præſumptionem.
Tanto major eſt præſumptio, quanto frequentior eſt adjunctorum cum re conjunctio.
Cum quibus connectuntur adjuncta rei, cum iisdem connectitur ipſa res.

6. *Circa Contraria.*
Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ.
Contraria non ſunt ejusdem ſpeciei.
Unum uni tantum eſt contrarium.

Contra-

Contraria versantur circa idem subjectum.
Contraria non insunt simul eidem subjecto.
Contrarium oritur ex contrario.
Contrariorum eadem est ratio, seu scientia.
Posito uno contrariorum, tollitur alterum.

7. *Circa Simile.*

Similium eadem est ratio, idem judicium.
Si id, quod magis videtur inesse, non inest; nec inerit, quod minus videtur inesse.
Si prædicatum non inest ei, cui magis videtur inesse; nec inerit ei, cui minus videtur inesse.
Si id, quod minus videtur inesse, inest; inerit etiam, quod magis videtur inesse.
Si prædicatum inest ei, cui minus videtur inesse; inerit etiam ei, cui magis videtur inesse.
Dissimilibus conveniunt dissimilia.
Omnis similitudo claudicat.
Simile simili gaudet.

8. *Circa definitionem.*

Quod convenit definito, convenit etiam definitioni, & vicissim.
Quod removetur à definito, removetur etiam à definitione, & vicissim.
Species sumitur à differentia.

9. *Circa divisionem.*

Positis omnibus partibus, ponitur totum.
Sublata quacunque parte, tollitur totum.
Posito toto, ponuntur omnes partes.
Totum sapit naturam suarum partium.
Totum est majus sua parte.

10. *Circa authoritatem.*

Cuique perito in sua arte credendum.
Quod omnibus, vel pluribus, vel sapientibus videtur, probabile est, nec sine gravi causa à communi aut sapientum judicio recedendum est.

In usu verborum sequenda est consuetudo.

Præter hos generales Locos Topicos dantur speciales, quando instituitur plurium objectorum inter se comparatio aut electio.

Melius proin ac Præstantius est

1. *à Causis.*

Quod inest rei meliori.

Quod versatur circa præstantiorem materiam, aut modo meliore.

Quod propter se expetitur, non propter aliud.

Quod per se expetitur, non per accidens.

Quod natura bonum est eo, quod non natura bonum est.

Quod propter se in majori est honore aut laude, quàm quod propter aliud.

Quod propter se expetitur eo, quod solum propter laudem humanam ac æstimationem hominum.

Quod appositum rei alicui eam facit expetibiliorem eo, quod illam non facit ita expetibilem.

Quod per se est causa boni, eò, quod per accidens est causa.

Id, quo habito, non indigemus altero.

Quod reddit melius aut bonum id, in quò est.

Id, cujus quisque se mavult esse causam, quàm alium.

Id, quo res melior comparatur.

Finis magis expetendus est, quàm ea, quæ ad finem ducunt.

Quod ad finem accedit propius, aut certius.

Quod ad finem vitæ spectat eò, quod ad alium finem.

Id, cujus finis melior.

2. *Ab Effectu.* Id, quod magis possibile.

Id, cujus ortus magis optandus, & interitus magis fugiendus.

Id, quod difficilius acquiritur à nobis.

3. *à Genere, Specie, Proprio.*

Quod magis proprium rei, eidem melius.

Quod proprium est melioris rei.

In quavis specie id, quod habet statum ac virtutem connaturalem.

4. *Ab*

4. *Ab Adjunctis.* Quod magis insigne.
Quod diuturnius est.
Quod plus voluptatis, minus molestiæ habet.
Quodvis eo tempore, quo majorem virtutem habet.
Bona ex circumstantia aliquando meliora necessariis.
Quod sine altero merito experi potest.
Cui consequens est majus bonum.

5. *à Contrario.*
Quod suo contrario minus permixtum est.
Illud è duobus contrariis, quo magis præditi videri volumus.

6. *à Simili.*
Quod rei bonæ propinquius aut similius.
Si Positivus bonus, Comparativus melior.

7. *à Definitione & Divisione.*
Quod magis suscipit definitionem, magis tale est.
Plura bona anteponenda paucioribus.
Quod simpliciter bonum eô, quod tantum alicui bonum.
Quod semper aut ut plurimùm utile eô, quod tantum aliquando.
Quod ad omnia vel plura utile, eô, quod ad pauciora.
Quod est in genere eô, quod non est in eô genere.
Quod est in genere vel specie meliori.

8. *Ab Authoritate.*
Quod potius eligit prudens, aut vir bonus, aut lex, aut qui excellunt in aliqua re.
Quod melior disciplina eligendum præcipit.

Addo ea, quæ hic tradita sunt de objectis eligendis, applicari pôsse ad objecta fugienda; utque hæc principia reddantur memoriæ familiaria, utile fuerit, se in ipsis per exempla exercere. Nec inutilis erit horum familiaritas: argumenta enim in nobis latentia veluti certis characteribus demonstrant, ac menti offerunt.

Sectio 6.

De Certitudine argumentorum, & Conclusionum, & Regulis Consequentiæ.

Propositionem *metaphysicè certam* voco, cujus principia absolutè nunquam possunt fallere.

Physicè certam voco, cujus principia nunquam fallunt secundum cursum ordinarium naturæ.

Moraliter certam voco, cujus principia rarissimè fallunt.

Probabilem voco, cujus principia regulariter, ac sæpius non fallunt.

Dubiam voco, cujus principia ferè toties fallunt, quoties non fallunt.

Improbabilem voco, cujus principia sæpius fallunt, quàm non fallunt.

Conclusio sequitur naturam antecedentis. Si antecedens est certum, vel probabile; talis etiam est conclusio, si necessariò consequitur suum antecedens. v. g. Petrus currit, ergo movetur.

In Syllogismo *Conclusio sequitur partem debiliorem*; id est, Quando una Præmissarum est certa, altera probabilis, etiam conclusio solùm est probabilis. v. g. Omnis Prædestinatus à Deo infallibiliter salvatur, Petrus est Prædestinatus, Ergo infallibiliter salvatur. Hic conclusio est solùm probabilis; licet major sit certa.

Conclusio, quæ ex antecedente probabili tantùm probabiliter deducitur, plerumque non manet probabilis. v. g. Aristoteles in inferiori mundo negavit providentiam, Ergo non datur providentia.

Consequentia simpliciter affirmari aut negari debet; quia aut est sine ulla exceptione mala aut bona.

Aliquando potest negari consequentia, etiamsi tam antecedens, quàm consequens verum sit; quando nempe consequens non consequitur ad antecedens. v. g. Petrus est homo; Ergo sol

Dato uno absurdo, vel impossibili, sequitur alterum. v. g. Petrus est canis, ergo est animal latrabile.

In Conditionali affirmativa à positione antecedentis valet consequentia ad positionem consequentis. v. g. Si Petrus est homo, est animal; sed est homo, ergo est animal.

In Conditionali affirmativa à destructione consequentis, bona est consequentia ad destructionem antecedentis. v. g. Si lapis est homo, est animal; sed non est animal, ergo neque homo.

Generalis Consequentiarum regula est, quod illa bona sit, quæ vera est. Solet autem quandoque Hypothesis impossibilis posita in antecedente seipsam destruere in consequente. v. g. Non datur veritas, ergo datur veritas. Etiam hæ consequentiæ reputantur legitimæ; licet enim ex falso non possit sequi verum; potest tamen occasione falsi probari verum. Igitur consequentia talis qualiscunque potest vocari legitima; inquantum occasione falsi infert verum destructivum falsi.

Sectio 7.
De Sophismate.

Sophisma est vitiosa argumentatio; hujus occasiones periculosiores sunt sequentes:

1. Ignoratio Elenchi. Quando probatur aliud, quàm quod est in quæstione. Hoc vitium frequenter committitur ab iis, qui, dum statum quæstionis ac controversiæ non satis intelligunt, ignorant, quid contra adversarium probandum sit; quandoque tales omnem probationum vim consumunt in minutiis ad causam principalem parùm contribuentibus; aliquando vel mala fraude, vel ex animi perturbatione affingunt adversariis ea, quæ à mente eorum remotissima sunt; vel eorundem doctrinæ adscribunt tales consecutiones, quas nemo admiserit. Igitur, ut vitetur hoc Sophisma, ante omnia status quæstionis, ac cardo controversiæ clarè ac distinctè proponendus est.

2. Peti-

2. Petitio Principii. Quando id supponitur, quod est in quæstione. Quando probatur ignotum per æque ignotum, aut incertum per æquè incertum. Solet hoc Sophisma committi 1. ab iis, qui Synonymum sumunt ad confirmationem Synonymi, aut definitionem ac confirmationem definiti. 2. Qui universalem propositionem probant per inductionem particularium; & particularia per propositionem universalem. 3. Qui correlativum probant per alterum correlativum. 4. Qui doctrinam suam superstruunt suppositis tanquam omnium confessione certis; cùm tamen illa supposita æquè incerta sint. 5. Qui committunt vitiosum circulum, probando unum per alterum; & hoc iterum per primum. Huc pertinet, quod nonnunquam eadem conclusio in Philosophia probetur authoritate Theologorum, & in Theologia illa ipsa conclusio probetur authoritate Philosophorum. Notandum tamen; non repugnare rectæ rationi; si unus testis, extra controversiam fide dignus testetur de fidelitate alterius testis; & hic posterior dein testetur de qualitatibus nonnullis prioris testis, alioquin minus notis.

3. Non Causa, pro Causa. Quando assignatur causa apparens, quæ tamen causa non est. Solet hoc Sophisma committi, quando intellectus obruitur nominibus rerum ignotarum, aut nominibus generalibus, aut nominibus abstractis. v. g. quando pro causa quorundam effectuum assignatur metus vacui, forma substantialis. Hæc enim sunt nomina rei ignotæ. Quando pro causa assignatur qualitas occulta, virtus magnetica, facultas concoctiva &c. obtruduntur nomina generalia, quæ nil aliud significant, quàm causa occulta, causa attractiva &c. Quando fatum, fortuna, &c. pro causa adducuntur; habemus nomina abstracta, & præter nomina nihil, licet intellectus se veram causam apprehendisse existimet. Huc pertinet, quod sæpe assignetur Non effectus pro effectu v. g. dum multi effectus lunæ adscribuntur, qui nunquam extiterunt; nimia credulitas, & ingeniorum servitus hoc Sophisma fovet. Omnium frequentissimè assumitur loco causa,

quod

quod concomitatur, aut antecedit effectum, licet cum effectu nullam necessariam connexionem habeat; Sic Sirius creditur causa æstûs, quia illius ortus antecedit æstum. A quibusdam accusatur Eloquentia, ut causa malorum, eò quod videant, perversos homines ad persuadendum uti eloquentiâ.

4. Fallacia accidentis. Quando de natura aut proprietate rei pronunciatur ex eo, quod ei tantùm convenit per accidens. Sic accusatur eloquentia, aut philosophia ex eo, quod cum illis contingenter quandoque conjuncta sint vitia. Igitur diligenter considerandum est, quid tribuendum ac adscribendum sit ipsi rei secundum se, quidve adscribendum accidentibus, aut circumstantiis.

5. Fallacia divisionis & compositionis. Quando fit argumentatio à sensu diviso ad sensum compositum, aut à sensu composito ad divisum, v. g. Petrus potest vitare homicidium, & adulterium, & blasphemiam, & quodvis aliud peccatum; Ergo tota sua vita potest vitare omnia peccata. Aut sic: Aleator potest prima, secunda, & qualibet alia vice jacere numerum senarium, ergo potest integro anno semper jacere numerum senarium; in his non licet à sensu diviso argumentari ad compositum, quia Contingentia non procedunt uniformiter. Frequenter solet committi hoc sophisma argumentando à sensu composito ad divisum, quando denominatio conveniens rei in sensu composito negatur ob hanc solam rationem, quod eidem non conveniat in sensu diviso.

6. A dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Quando enunciatur simpliciter, quod est tantùm verum secundùm quid. Hoc sophisma committitur ab iis, 1. qui rem unam alteri

simpliciter præferendam esse volunt, cùm tamen tantùm præferenda sit secundum quid. 2. Qui rem simpliciter laudant aut vituperant, cùm tamen solum foret laudanda secundum quid. 3. Qui denominationem relativam absolutè tribuunt, cùm tamen tantùm conveniat rei relatè ad aliquid determinatum. 4. Qui aliquam denominationem simpliciter negant ex eo, quod illa denominatio secundum quid non conveniat rei. Hinc vitiosa est Argumentatio: Non licet occidere, ergo neque licet occidere nocentem. Vel: licet occidere nocentem, ergò licet occidere.

7. Imperfecta inductio. Hoc sophisma committitur ab iis. 1. Qui consideratis omnibus considerandis pronuntiant aliquid esse possibile vel impossibile, verum vel falsum; cùm tamen non omnia consideraverint. 2. Qui enumerando varios modos, quibus res fieri possit, omittunt tamen plures alios consideratione dignos. 3. Qui ex aliquot rerum particularium consideratione statim inferunt universale, ac propositionem generalem. 4. Qui integræ communitati ac societati adscribunt, quod tantum aliquibus paucis convenit.

8. Argumentum ab invidia ductum. Quo nempe aliorum doctrina opprimitur, conflando illius odium. Hoc fieri solet sic: 1. Sententia, quæ oppugnatur, male explicatur. 2. Cum invisorum hominum dogmatibus confertur. 3. Nominibus invidiosis infamatur. 4. Exaggeratur momentum quæstionis. 5. Invisi redduntur boni, quod consuetis non utantur vocibus ac loquendi formulis. 6. Studiosè occultantur rationes, quibus refutanda sententia nititur. 7. Tacentur incommoda, quibus premitur sententia defendenda. 8. Prætermittuntur ea, quæ invidiam amoliri possent. 9. Invidio-

Invidiosa consectaria deducuntur ex sententia eorum, qui oppugnantur. 10. Malignis suspicionibus premuntur. 11. Novitas illis objicitur, quasi crimen. 12. Consensu hominum potentiorum opprimuntur. 13. Miscentur in disceptationibus multa, quæ ad rem nihil faciunt, sed quæ invidiæ creandæ apta sunt. 14. In deteriorem partem accipiuntur indifferentia. 15. Provocatio fit à peritis judicibus ad imperitos. 16. Adversarii quasi immorigeri magistratibus infamantur. Hoc genus sophismatis sine dubio nec vitio, nec peccato caret; quia tamen interest reipublicæ, opprimi scandala, & nosse malos, licebit nonnunquam ea seligere, quæ veritatem non lædunt.

9. Æquivocatio, & Amphibologia. Illa fit, quando quis abutitur voce æquivoca, non subjiciendo eidem constans significatum; hæc verò fit, quando integra propositio recipit ambiguum sensum.

Sectio 8.

De Methodo.

Methodus est modus in suis ratiociniis ac studiis ordinatè procedendi.

Regula est Generalis, ut à simplicibus ad composita; à notioribus ad minus nota, à facilioribus ad difficiliora fiat progressio. v. g. qui explicat artificium horologii, prius explicat singulas partes seorsim, eorumque officium, ut dein totius compositi constitutio intelligi possit; sic Architectonica, & omnes aliæ artes prius explicant ac docent partes suæ operationis; & sic

à simplicibus procedunt ad composita. Potest autem hæc progressio duplici modo fieri Synthetico, & Analytico.

Synthesis est Compositio. Hæc fit: 1. Quando ab inductione particularium progredimur ad conclusionem universalem. 2. Quando è proprietatibus & accidentibus rei seorsim cognitis colligimus naturam totius compositi. 3. Quando experientiis, documentis, aut principiis particularibus, mediante aliquo discursu, superstruimus principium, dogma, aut systema universale. 4. Quando ex consideratione partium devenitur in cognitionem totius compositi. 5. Quando ex consideratione causarum & dispositionum ad naturam effectus rimandam progredimur.

Analysis est Resolutio. Hæc fit: 1. Quando ex conclusione universali descendimus ad particularia, ac corollaria. 2. Quando è natura totius compositi aliunde nota colliguntur proprietates & accidentia rei. 3. Quando ex aliquo principio, aut systemate universali aliunde certo deducitur continua serie veritas omnium conclusionum particularium; aut quando ex illo systemate explicantur experientiæ particulares. 4. Quando ex consideratione totius devenitur in cognitionem partium. 5. Quando ex cognitione naturæ effectûs progredimur ad modum causandi ac productionis.

Usus Methodi Syntheticæ, aut Analyticæ ad nullam legem astringitur. Quando principia universalia notiora sunt, quàm particularia (prout doctis plerumque notiora sunt) convenienter adhibetur Analysis: interdum utraque conjungitur. Quando verò agitur in re obscura, ubi tyronibus solùm proprietates sensibiles, accidentia, ac phænomena particularia nota sunt, adhibenda est methodus Synthetica. Tales proprietates

prietates particulares dicuntur notiores quoad nos. Principia verò universalia dicuntur notiora naturâ, quia connaturaliùs est ex cognitione principiorum ac causarum generalium devenire in notitiam particularium.

Specialis Regulæ loco servire potest Methodus Mathematica. In hac ponuntur sequenti ordine

1. Definitiones earum rerum, ac vocum, à quarum explicatione dependet totius discursus vis: nam definitiones earum rerum ac vocum, quæ minus principaliter aut secundariò tantùm ingrediuntur discursum, rectius immiscentur ipsi discursui.

2. Axiomata, seu principia generalia evidentia, per se nota, ac nulla alia probatione indigentia, à quorum evidentia veritas totius discursus continua serie deducitur; illa enim axiomata, quæ tantùm serviunt ad conclusiones minùs principales, rectius immiscentur ipsi discursui.

3. Postulata, seu principia generalia, non quidem evidentia ac per se nota, sed tamen aliunde certa aut probata. Requiritur; ut etiam ab horum veritate veritas totius discursûs dependeat; illa enim postulata, quæ tantum serviunt ad conclusiones minus principales, rectiùs immiscentur ipsi discursui.

4. Data, seu omnes illæ res aut veritates, e quarum ordinata consideratione dependet cujuslibet conclusionis in particulari evidentia.

5. Propositio, seu Conclusio.

6. Corollaria, seu sequelæ, quæ e conclusione utiliter deduci possunt; non enim decet addere corollaria, quæ aut nullius usus, aut nullius considerationis, aut nullius difficultatis sunt. Ægrè fert humana superbia, si instruatur in iis, quæ sibi aliunde sine instructione facillimè obvia sunt.

Licet hæc methodus rectè servetur in omnibus scientiis, inquantum servari potest, superest tamen adhuc specialis methodus docendi, refutandi, & disputandi.

Methodus docendi melior videtur esse, si observet sequentia: 1. Præmittatur definitio nominum & rerum; earumque descriptio. 2. Veniant prænotanda, quibus comprehenditur omnium earum rerum explicatio, sine quarum notitia conclusio rectè intelligi non potest. 3. Fiat conclusio. 4. Sequantur probationes; & quidem argumenta majoris ponderis primum locum teneant, ut eò firmius mentem occupent; leviora argumenta in oratione ad medium; in scriptis ad finem reserventur. 5. Deducantur Corollaria. 6. Fiat dubiorum solutio. 7. Quando de eadem re plures occurrunt quæstiones, eæ ita coordinandæ sunt, ut primò quæratur: An sit res? Secundò. Quid sit? Tertiò. Qualis sit? Quartò. Cur talis sit? 8. Si quis velit immiscere eruditionem, documenta, aut historiam variarum opinionum &c. omnis illa eruditio prænotandis subjicienda est; aut speciali articulo proponenda; cavendum tamen, ne eruditione parùm utili laus operis minuatur. 9. Omnia superflua resecentur. Hinc ea, quæ per modum corollarii ex aliis conclusionibus deduci ac iis subnecti possunt, non specialiter examinentur; si occasio se obtulerit, incidenter utilem animadversionem, aut controversiæ impertinentis explicationem immiscendi id fiat brevissime; solùm illæ objectiones, aut opiniones recenseantur, quæ sunt alicujus difficultatis & ponderis. 10. præci-

præcipuè servetur Ordo, claritas, & exactitudo: nam & minutiæ habent pondus suum. Ordo & Claritas requirit, ut partes principales operis ordinate, distinctè, & sensibiliùs, quàm omnes aliæ partes in sensus incidant; hinc partes principales aut charactere, aut positione, aut modo tendendi sensibiliori, aut speciali attentionis provocatione à partibus secundariis distingui debent, nec nimis vicinæ, ne unius meritum minuat attentionem ad alteram, nec nimis remotæ ab invicem, ne earum ordo memoriæ difficilis fiat. Reverà enim omnium operum, quæ dependent à proportione partium, pulchritudo consistit in majestate partium principalium, seu in tali simplici & facili ordine, ut omnis attentio feratur ad partes principales.

Methodus refutandi triplici modo fieri solet: 1. Si veritas ab initio statuatur, & ex veritate comprobata aliorum dicta refutentur, & quid veri contineant, exponatur. 2. Si prius aliorum opiniones cum eorum rationibus fideliter proponantur; ac dein mox refellantur, facto initio ab erroribus crassioribus; ultimò denique veritas statuatur, & inquantum refutatæ opiniones veritatem attingant, paucis exponatur. 3. Si propositis primùm pro utraque parte sententiis ac rationibus; dein veritas determinetur; ac postremò ex veritate rationes contrariæ dissolvantur. 4. In confutatione, quæ pro scopo habet investigationem ac demonstrationem veritatis, vitetur Argumentum ab invidia, verba injuriosa, minutiarum vehemens insectatio; negligantur illa documenta & argumenta, e quibus utraque pars probabilitatem suæ causæ quærere potest; mittantur illa communia, quæ ab utraque parte dici possunt, v. g. objectio pertinaciæ. 5. Eloquentia acerba, & vehementi insultatione solùm licet uti erga eos, qui potius opprimi, quàm confutari merentur; quales sunt, qui docent certò erronea, ac reipublicæ perniciosa, absque ulla emendationis spe. 6. Objectionibus satisfieri debet, non solùm ostendendo, quod possint esse falsæ, sed etiam, quod probabilius sint falsæ.

7. Doctri-

7. Doctrina confutanda dividatur in tot puncta erronea, in quotquot dividi potest, eaque omnia seorsim refutari debent. 8. Nonnunquam convenit instituere Parallelum errorum, & veritatis; vel monstrare integram errorum Genealogiam indicando fontes, occasiones, motiva, effectus. 9. Sæpe verba authorum de se innocua, à circumstantiis, & dispositione tam audientium, quàm loquentium acquirunt sensum quendam secundarium pernitiosum; sagax enim hominum natura nullo magistro, nullo monitore semper in versutias sui generis intenta est, & linguam innuentium etiam intra fauces hærentem subtili aure intelligit; tunc confutans magna eruditione in demonstrandis illis circumstantiis ac dispositionibus opus habet. 10. Confutans ad id maximè attendere debet, si velit humaniter tractare adversarium, ut nullum verbum offensionis proferat, sed solùm interdum modesta veritatis expositione lectori occasionem propinquam ac semina ulterioris ratiocinii præbeat. Quin nuda admonitio, nuda objecti incidenter facta mentio, nudus modus tendendi mirabiles interdum in mente lectorum ideas, ac discursus excitat.

Methodus disputandi consistit in hoc: 1. Argumentans clarè ac distinctè proponat propositionem, cujus veritas aut falsitas probanda est. 2. Proferat argumentum, ita tamen ut continua serie non plures, quàm unum syllogismum proferat. 3. Respondens repetat totum syllogismum, ac dein iterum incipiendo ad singula membra respondeat; negando aut concedendo, si propositionem veram aut falsam invenerit; distinguendo verò, si sensum ambiguum deprehenderit. 4. Argumentans illam partem, quæ negata est, denuò probet. 5. Si argumentanti ita videbitur, poterit ante disputationem suam adversariis nonnullis quæstionibus divertere, ut ex incautis ejus responsionibus forte major efficacia argumento concilietur, aut effugia præscindantur. 6. Præter hanc disputandi methodum, quæ est Aristotelica, ac quasi ligata, datur alia methodus solutior, quæ vocatur Socratica; in

in hac per modum discursus inquiritur veritas; cùm vero liberrima sit, solùm imitatione disci potest, legendo Dialogos eorum, qui in hoc genere excelluerunt, maximè Platonis.

Cæterùm nemo non videt, omnes has methodos inutiles fore, nisi quis in quovis quæstionum genere sibi comparaverit ope eruditionis magnam idearum variarum copiam, ut ex combinatione tot confusarum cognitionum Ordinem totius veritatis ac doctrinæ invenire possit; hinc opus est magna applicatione & attentione, vi cujus confusæ cognitiones variè inter se permisceantur; opus est indifferentia judicii omnibus passionibus expurgati, ne nimis facile errori acquiescat; opus est denique exercitatione, ut mens assuescat ordinatis cognitionibus; ea verò exercitatio consistit vel in lectione, vel in compositione, vel in prompta de quavis quæstione occurrente ratiocinatione; maxime vero scientiæ mathematicæ mentis capacitatem augent ad multa simul comprehendenda, & quendam ordinem in ratiociniis ordinatè procedendi intellectui imprimunt.

Dubitatio, quam nonnulli pro fundamento totius methodi constituunt, ita ut scientiarum candidatos à principio de omnibus dubitare velint, ad methodum scientiarum non requiritur: cur enim ab initio dubitem, antequam habeam rationem dubitandi? cur animus ad argumenta pro merito suo ponderanda, & errores deponendos paratissimus statim ab initio se omnibus receptis semel opinionibus exuat? Cur non liceat tamdiu possessione paternarum traditionum frui, donec sufficienter perspectum sit, eas temerè receptas esse? Plane nec ratio, nec experientia probat, hanc dubitationem iis necessariam aut utilem fore, qui parati sunt omnes suas opiniones, etiam quas pro certis tenent, rigorosè discutere.

Sectio 9.

De Universalibus, & Prædicamentis.

Universalia vocantur prædicata generalia, quæ insunt multis, ac prædicantur de multis. Sic Animal prædicatur de homine & equo, iisque inest. Inquantum inest multis, vocatur Universale in essendo ac metaphysicum, & definitur Unum aptum inesse multis. Inquantum prædicatur de multis, vocatur universale in prædicando, ac Logicum. Talia prædicata generalia seu universalia dantur quinque, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

Genus est, quod sub se continet diversas species: Ut Animal, quod continet sub se equum, canem, hominem. Genus summum est, quod non continetur sub alio genere, ut Substantia, qualitas. Genus subalternum est, quod continetur sub alio genere, ut Corpus; continetur enim in genere Substantiæ.

Species est, quod continetur sub aliquo genere: Ut Homo, continetur in genere Animalis. Species infima est, quæ nullas alias sub se continet diversas species, ut Homo. Non enim dantur diversæ species hominum, sed solùm diversa individua, seu, quæ solo numero differunt. Individuum enim vocatur, quod de uno solo prædicatur. Species subalterna est, quæ continet sub se diversas species, ut Animal est Species substantiæ, & est genus respectu equi, & hominis.

Differentia est illud prædicatum, qua una res differt ab alia; ut si dico homo est animal rationale; rationale est differentia.

tia. Essentialis vocatur, qua res differunt essentialiter; Accidentalis, qua differunt accidentaliter.

Proprium vocatur illud prædicatum, quod rei necessariò convenit: Ut risibile convenit necessario homini. Proprium dicitur quatuor modis: 1. Quod convenit soli, sed non omni. Ut Grammaticum esse, convenit soli homini, sed non omni. 2. Quod convenit omni, sed non soli, ut esse bipedem, convenit omni homini, sed non soli. 3. Quod omni & soli, non tamen semper convenit, ut canescere convenit omni & soli homini, sed non semper. 4. Quod omni, soli, & semper convenit; ut risibile convenit omni, & soli homini, & semper.

Accidens vocatur, quòd potest adesse, & abesse sine subjecti corruptione. Ut Album prædicatur de muro accidentaliter, quia sive tollatur albedo, sive relinquatur, murus non corrumpitur. Nigredo à corvo non solet quidem de facili separari; potest tamen cogitatione separari.

Prædicamentum est catalogus prædicationum generalium, quæ in omni re reperiuntur. Sic cuivis rei convenit esse substantiam; cuivis convenit quantitas, qualitas, relatio, actio & passio, locus & situs, tempus, & habitus. Et hæc sunt numero decem.

Substantia vocatur omne Ens per se subsistens, ut homo, lapis. Accidentia enim, ut albedo, vel frigus existunt in alio, v. g. lapide. Primæ substantiæ vocantur individua, ut Petrus. Secundæ substantiæ vocantur genera & species, ut animal. Proprietates substantiæ recensentur hæ: 1. Quod non sint in subjecto. 2. Quod non habeant contrarium; quia contrarietates reperiuntur in qualitatibus. 3. Quod non suscipiant magis & minus. Quia Petrus non est magis homo, quàm Paulus.

(f) 2 4. Quod

4. Quod ſit receptiva contrariorum, v. g idem modo recipit frigus, modo calorem.

Quantitas vocatur magnitudo ac extenſio rei. Quantitas Continua vocatur magnitudo, cujus partes ab invicem ſenſibiliter non diſtinguuntur. Ut lignum, tempus, ſpatium. Quantitas diſcreta, cujus partes ſenſibiliter diſtinguuntur, ut Numerus v. g. ternarius, & Oratio. Proprietates quantitatis recenſentur. 1. Quod non habeat contrarium. 2. Quod non ſuſcipiat magis & minus; neque enim ſtatua eſt minus bicubita, quàm homo. 3. Quod ſecundum quantitatem dicantur res æquales vel inæquales. Æqualia enim dicuntur, quorum eadem eſt quantitas.

Qualitas vocatur illa res, qua ſubſtantia qualis dicitur. v. g. ſi quæro, qualis ſit Petrus, aut murus? Reſpondetur, quod ſit albus; albedo proin eſt qualitas. Recenſentur quatuor ſpecies qualitatis: 1. Habitus, ſeu conſtans rei diſpoſitio, & tranſiens rei diſpoſitio, quæ ſimpliciter vocatur diſpoſitio. Sic conſtans diſpoſitio ad opera virtutis vocatur habitus virtutis. 2. Naturalis potentia, & impotentia. v. g. potentia ad currendum. 3. Patibilis qualitas, ſeu conſtans ſubſtantiæ affectio, ut ſcientia in Petro; & Paſſio, ſeu tranſiens ſubſtantiæ affectio, ut ſubita ira, aut verecundia in Petro. 4. Forma, & figura, quæ naſcitur ex terminatione quantitatis, ut figura trianguli. Proprietates qualitatis ſunt: 1. Habere contrarium, nam virtuti contrarium eſt vitium. 2. Suſcipere magis & minus: Nam unus homo eſt altero juſtior. 3. Ut ſecundum eam res dicantur ſimiles aut diſſimiles. Similia enim ſunt, quorum qualitas eſt una.

Relatio eſt, qua aliquid refertur ad aliud, ſic ſervus refertur ac habet relationem ad Dominum; æquale habet relationem ad

ad ſibi coæquale. Relatio æquiparantiæ dicitur, quando in utraque re reperitur mutua æqualitas, aut ſimilitudo. Relatio disquiparantiæ dicitur, quando reperitur inæqualitas; talis intercedit inter ſervum & Dominum. Termini relationis dicuntur res, quæ habent ad invicem relationem. Fundamentum relationis dicitur res, quæ refertur ad aliam, ut murus ad murum. Ratio fundandi vocatur res, propter quam unum refertur ad aliud. v. g. ſi murus dicatur alteri muro ſimilis propter ſuam albedinem, tunc albedo vocatur ratio fundandi. Proprietates relationis ſunt: 1. Omnis relatio eſt mutua. 2. Omne relatum eſt ſimul naturâ cum ſuo correlativo; ſi enim ponitur aut tollitur Dominus, ponitur etiam aut tollitur ſervus. 3. Relativorum una eſt ſcientia; uno enim terminorum cognito, neceſſariò cognoſcitur alter. Si ſcio Anchiſen eſſe Patrem Æneæ, ſcio etiam Æneam filium eſſe Anchiſis.

Actio vocatur affectio agentis, quando agit. Paſſio vocatur affectio patientis, quando patitur; ſic, quandò ignis calefacit aquam, dicitur agere in aquam; & quando aqua recipit calorem, dicitur pati. Eadem proin calefactio eſt in agente actio, & in patiente paſſio. Proprietates actionis & paſſionis ſunt: 1. Quod recipiant magis & minus. Una enim calefactio eſt major altera. 2. Quod habeant contrarium. Calefactioni enim contraria eſt frigefactio.

Locus vocatur vicinia corporum ambientium. Ut ſol dicitur in medio cœli, quia illum ambiunt cœli.

Situs eſt modus, ſecundum quem partes corporis ſunt in loco; ut ſeſſio.

Tempus vocatur menſura durationis, ut annus.

Habitus vocatur omne genus indumenti, ut vestis, vel arma.

Post-prædicamenta recensentur quinque: Oppositio, prioritas, simultas, & habere.

Oppositio fit quatuor modis: 1. Relativè, talis intercedit inter Dominum & servum. 2. Contrariè. Talis intercedit inter ea, quæ se mutuò ab eodem subjecto expellunt: Ut inter calorem & frigus. 3. Privativè. Talis intercedit inter formam & privationem, ut inter lucem & tenebras. Est enim privatio negatio formæ in subjecto dispositio ad formam. Sic cæcitas est negatio potentiæ visivæ in oculo. 4. Contradictorie. Talis est inter hominem, & non hominem.

Prioritas est modus, quo una res præcedit aliam; est quintuplex: 1. Prioritas temporis est modus, quo una res aliam præcedit tempore. 2. Prioritas à subsistendi consequentia intercedit, quando unum infertur ex alio; ut si dico, Petrus est homo, ergò est animal. Homo est prior animali. 3. Prioritas ordinis, quando unum præcedit ordine, ut Orationis Exordium præcedit Epilogum. 4. Prioritas dignitatis, qualis est inter Regem & subditos. 5. Prioritas naturæ, quando unum est causa alterius, licet utrumque sit in eodem instanti temporis; sic sol est prior luce, ignis calore.

Simultas etiam est quintuplex: 1. Simultas temporis. 2. Simultas consequentiæ, quando duo mutuò se inferunt. Sic possum dicere; est risibilis, ergo est rationalis; vel est rationalis, ergo est risibilis. 3. Simultas Ordinis. 4. Simultas dignitatis. 5. Simultas naturæ; quando duo se mutuò ponunt, aut tollunt, licet non sint invicem causæ, ut correlativa.

Motus

Motus eſt tendentia ad terminum. Ejus quatuor ſunt modi: 1. Generatio & corruptio, qua ſubſtantia tota de novo producitur aut deſtruitur. 2. Motus localis, quo res transfertur ab uno loco ad alium. 3. Alteratio, qua ſubſtantia mutatur in ſuis qualitatibus. 4. Augmentatio vel diminutio, qua ſubſtantia mutatur in quantitate.

Habere vel haberi dicitur una res ab alia quinque modis: 1. Per inhærentiam. Sic murus habet albedinem. 2. Per continentiam; ſic dolium continet vinum. 3. Per poſſeſſionem. Sic homo habet prædium. 4. Per relationem. Sic Pater habet filium. 5. Per juxtapoſitionem. Sic Germania à meridie habet Italiam, ab occidente Galliam.

Nil jam ſupereſt, quàm Arbor prædicamentalis, ſeu generalis diviſio rerum; ea eſt ſequens:

Subſtantia

Corporea — Incorporea

Corpus

Animatum — Inanimatum

Vivens

Senſitivum — Non ſenſitivum

Animal

Rationale — Irrationale

Homo

Petrus — Paulus.

Hæc

Hæc igitur Logica incipientium eſt, ſeu generalis ad ſcientias præparatio, in qua, ut vides, multa occurrit vocum explicatio, exigua mentis inſtructio; nempe artium magiſtri tentando melius, quàm diſcendo fiunt: optima futurorum regula eſt præteritorum experientia. Diſce ſentire ſcientias, & invenies meliores ſciendi regulas. Quod ſi & has complecti velis una quadam Arte Logica, noli eas requirere in hac tua: Logica illa non incipientium, ſed proficientium eſt.



QUÆSTIO

METAPHYSICA.



QUÆSTIO I.

Quid sint Ideæ? Et, An existant?

1. Deam voco id, quod immediatè obversatur menti, dum cogito, v. g. dum, clausis licet oculis, cogitatione pererro hortos varietate florum gratissimos, prata ridentia, frondentia nemora, pulchra cœli atria &c. est aliquid, quod se præsens sistit animo: quidquid hoc rei sit, id ego Ideam voco: aut si manifestiori exemplo nosse ideas desideras; para Cameram obscuram Opticis familiarem; contemplare inibi rerum exterarum imagines per angustum foramen in adversum parietem projectas; cogita illas imagines menti tuæ similiter imprimi, & has tu ideas voca.

2. Ideam Simplicem voco, quæ ne cogitatione quidem in plures diversas ideas resolvi potest. Compositam voco, quæ saltem cogitatione in plures diversas ideas resolvi potest. Sic idea domus, solis, aut arboris est idea composita; quia potest resolvi in ideam Extensionis, figuræ, albedinis, lucis &c. ipsa vero idea extensionis, rotunditatis, albedinis, lucis &c. est idea simplex, quia non potest resolvi in plures diversas ideas. Si iterum ideas simplices & compositas in exemplo manifestiore nosse desideras; para denuò Cameram obscuram, & imagines inibi projectas e variis partibus compositas resolve in partes suas simplices; has tu ideas simplices voca.

3. Ideam Claram voco, in qua plures partes distinctius discerni possunt, quàm in alia idea consimili: vel, quæ menti cum majori lumine obversatur. Obscuram voco, cujus partes tam distinctè discerni non possunt, ut in alia idea consimili: vel, quæ menti cum minori lumine obversatur. v. g. siste menti tuæ Ideam Equi, qualem de equo longe remoto, aut ingruente nocte viso habere soles; hanc ideam obscuram dices, quia partes equi nequis discernere, vel quia illa idea cum

tenui lumine menti sistitur: ob eandem causam in Camera obscura, si denuò exemplo sensibili uti velis, illas imagines obscuras nominabis, in quibus partes pro voto satis distingui non possunt, aut in quibus lumen deficit. Tales tu imagines ideas obscuras voca, aut, si ita vis, confusas: reliquas imagines voca ideas claras, aut, si ita vis, distinctas; sunt enim, qui illas imagines, quarum partes ob nimiam lucem discerni non possunt, confusas potius, quàm obscuras nominare volunt.

4. Conclusio 1. Ideæ existunt. pb. Concl. 1. Ideæ non sunt nihil, ergo existunt. pb. ant. 2. Omne id, quod menti immediatè videtur obversari, non est nihil: sed ideæ immediatè videntur obversari menti; ergo non sunt nihil. pb. maj. si id, quod immediatè videtur obversari menti, posset esse nihil, tunc non superesset ulla res, cui competeret nomen rei existentis; sed hoc est impossibile ergo min. patet, quia homines potuerunt, & voluerunt ex suo placito alicui rei imponere nomen rei existentis. maj. pb. Non potest probari ullius rei existentia, nisi dependenter ab existentia illius, quod videtur immediatè obversari menti; ergo si hoc potest esse nihil, non superest ulla res, cui competat nomen rei existentis.

5. Corollarium 1. Adeoque omnium primò existentia idearum nota est; etiamsi nondum constet, an sint aliquid creatum, vel increatum? an sint in mente, vel extra mentem? an sint res permanens, vel fluxa? an sint res ipsæ, vel rerum mirabiles umbræ, & amica somniis fœcundæ mentis ludibria? nam & si sint ludibria, dantur tamen.

6. Corollarium 2. Adeoque ideæ sunt primum scibile, non solùm quia immediatè obversantur menti; sed quia nullius rei existentia, nisi ab idearum existentia sciri potest; ipsa mens ignorat suam existentiam, nisi inquantum aut in seipsa aut in suis actionibus per modum ideæ sibi ipsi obversari incipit; ac proin rectè à cognitione idearum ad scientiam aliarum rerum progrediemur.

7. Conclusio 2. Dantur ideæ simplices. pb. Concl. dantur ideæ lucis, albedinis, dulcedinis, voluptatis, doloris, volitionis, assensus &c. sed hæ ideæ sunt simplices, ergo maj. patet, quia prædictæ res immediatè afficiunt mentem, eique obversantur; ut experimentaliter notum est. min. pb. in exemplo ponamus lucem, albedinem, dulcedinem, voluptatem &c. noviter advenire alicui corpori extenso, in quo prius non fuit; jam sic: si in hoc casu non sentio extensioni præexistenti advenire plures diversas ideas, tunc idea lucis &c. adveniens est simplex, sed, ergo min. est experimentaliter nota; etiamsi enim luci devenienti tribuas diversa nomina v. g. Entis, qualitatis, lucis: non

tamen

tamen ob diversitatem horum nominum sentio diversitatem idearum aut partium latentium in idea lucis. Hoc exemplum exhiberi potest, si in Cameram obscuram præmemoratam intromittas imaginem lucis, aut coloris.

8. Corollarium; Adeoque Ideæ compositæ nihil aliud sunt, quàm aggregatum idearum simplicium; ac proin omne compositum in sua principia simplicissima resolvi potest: ex diversa combinatione idearum simplicium nascuntur diversa composita; ex cognitione igitur simplicium dependet cognitio compositorum; igitur à consideratione idearum simplicium ad considerationem compositorum progredi oportet, veritas hujus Corollarii in Camera obscura perspicuè exhiberi potest; possunt enim exhiberi diversissima composita per solam additionem aut subtractionem simplicium.

Solvuntur Objectiones.

9. Obj. 1. Cont. 1. Concl. 1. Ideæ tantùm sunt simulacra rerum, ergo non sunt res; sicut simulacrum hominis non est homo. 2. Id, quod videtur esse homo, aut aurum, tamdiu non potest affirmari esse verum aurum, aut verus homo, donec conferatur cum vero auro aut homine; ergo tamdiu non potest affirmari ideas reverà obversari menti, aut revera existere, donec conferantur cum alia re, quæ extra controversiam reverà obversatur menti, aut reverà existit: atqui talis res adduci non potest; ergo nunquam poterit affirmari ideas revera obversari menti. 3. Non constat existere mentem; ergo nec constat aliquid obversari menti. 4. Entia pure possibilia; quin & impossibilia possunt obversari menti; ergo id, quod obversatur menti potest esse nihil. 5. Etiamsi id, quod obversatur menti, aliquando foret nihil; posset tamen adhuc probari aliarum rerum existentia vel è lumine naturali, vel revelatione Dei; ergo non sequitur omnia fore nihil, si ideæ forent nihil. 6. Potest dici, quod ideæ nihil aliud sint, quàm ipsa objecta immediatè cognita; aut ipsa mens seipsam inspiciens; aut essentiæ divinæ modus aliquis menti in certis circumstantiis cognitus; Ergo non debet introduci novum ideæ vocabulum; sed debent res suis propriis nominibus compellari.

10. Resp. ad 1. t. a. d, C. Ergo non sunt illæ res, quarum sunt simulacra, c, C. non sunt res, per quam sunt simulacra, n. C, sic enim simulacrum hominis, licet non sit homo, est tamen verum simulacrum. ad 2. n. a, quando enim constat, ex beneplacito hominum illud vocari aurum, quod est substantiæ flavæ, purissimæ, solidissimæ, gravissi-

mæ &c. poteſt genuinum aurum ſtatim ex ſeipſo probari. ad 3. d. a. non conſtat exiſtere mentem antecedenter ad notitiam idearum. c. a. concomitanter. n. a. quando enim ſentio mihi obverſari ideas, tunc ſimul concomitanter ſentio aliquid, cui obverſantur; id ego, quidquid rei ſit, mentem voco. Quia igitur mens cum ideis ſibiipſi per modum ideæ experimentaliter proponitur, ideo idearum, & ſuiipſius exiſtentiam ſimul cognoſcit.: altera ratio, cur mens idearum & ſuiipſius exiſtentiam concomitanter ſimul cognoſcat, eſt; quia ſunt correlativa ad invicem, quorum uno exiſtente neceſſariò exiſtit alterum. Nec iſta concomitantia obſtat, quin exiſtentia mentis ſit prior à ſubſiſtendi conſequentia. ad 4. d. a. entia poſſibilia poſſunt obverſari menti immediatione ſui. n. a. immediatione idearum c. a. nempe entia poſſibilia neceſſariò debent cognoſci per ideam exiſtentem, & per modum rei exiſtentis. ad 5. n. a. quomodo enim exiſtentia alicujus rei poterit probari dependenter à lumine naturali vel revelatione Dei; niſi ipſum lumen naturale, aut revelatio incipiat obverſari immediatè menti? ſi autem incipit obverſari menti, tunc eo ipſò incipit ſortiri vocabulum ideæ. ad 6. t. interim. a. n. C. eo ipsò enim, quod nondum conſtet, quid ſint iſtæ ideæ; debent compellari hoc ſpeciali vocabulo idearum; ne forte dicantur eſſe, quod non ſunt.

11. Obj. 2. Cont. Coroll. 1. Concl. dantur aliquæ veritates, quarum exiſtentia neceſſario debet cognoſci ante exiſtentiam idearum; ergo ideæ non ſunt primum cognitum, nec principium in via ſcientiæ. Ant' pb. non poteſt probari exiſtentia idearum, quin prius cognoſcantur principia lumine naturæ nota. v. g. quod idem non poſſit ſimul eſſe verum & falſum, ſeu Eſſe & non eſſe: quod identificata cum uno tertio ſint eadem inter ſe; & quod diſtincta in uno tertio ſint diſtincta interſe: quin omnium illarum propoſitionum veritas, è quibus exiſtentia idearum probatur, ante exiſtentiam idearum nota eſſe debet. 2. poteſt dici, hoc principium Carteſianum; Cogito, Ergo ſum; eſſe primum cognitum; ergo non eſt primum exiſtentia idearum. a. pb. illud principium poteſt vocari primum, cujus veritas, negatis ac ſublatis licet omnibus aliis principiis, manet inconcuſſa; at tale eſt hoc principium; quia licet de omnibus aliis principiis quis dubitet; non tamen poteſt dubitare, quin dubitet; dubitare autem eſt cogitare; ergo omnium principiorum primum & certiſſimum eſt. Cogito. 3. Poteſt in ſcientiis convenienter ſervari hic ordo; ut primo demonſtretur exiſtentia ac natura propriæ mentis; dein ab exiſtentia mentis probetur exiſtentia Dei,

cog-

cognitione Dei, tanquam primæ causæ omnium rerum, potest deveniri in cognitionem omnium creaturarum. Ergo non est necesse ordiri scientias à cognitione idearum. 4. Ordo progrediendi in scientiis à natura nobis præscriptus est sequens: primo incurrunt in sensus objecta sensibilia particularia; dein ex observatione plurium effectuum seu objectorum sensibilium fit memoria; è pluribus memoriis seu frequentatis observationibus fit experientia; è pluribus experientiis fit inductio universalis, seu propositio generalis scientifica: Ergo non est incipiendum ab ideis. ant. pb. quia natura infantes instruit cognitiones suas ordiri à sensibilibus magis notis, & quia nihil potest esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

12. Resp. ad. 1. n. a. ad pb. iterum. n. a. quia tales veritates nihil aliud sunt, quam relatio idearum inter se; aut modus idearum relatio autem aut modus idearum simul concomitanter cognoscitur cum ipsis ideis: quin talis relatio aut veritas omnino non cognoscitur; quin obversetur menti; adeoque assumat officium ideæ. Nec obstat, quod existentia idearum probetur è talibus principiis, tanquam prius notis. Nam talis probatio nihil aliud est, quam successiva explicatio earum veritatum, quæ simul mente comprehenduntur; seu potius, est diversarum idearum diversis temporibus menti obversantium ad invicem facta collatio: adeoque illa generalia principia non præcedunt existentiam idearum nisi tantum prioritate à subsistendi consequentia. Ad, 2. n. a. quia non potest probari, dubitationem esse aliquid existens, nisi inquantum probatur omnem generaliter ideam esse aliquid existens; dein hoc principium non est ita fœcundum, ac planum, ut modo tam facili ac perspicuo totum systema scientificum exinde deduci possit, sicut potest déduci è principio nostro; ut ex decursu patebit. ad 3. n. a. quia sine cognitione idearum nullum systema scientificum subsistere potest; ut patebit ex decursu, adeoque convenientius fit, si expressè huic idearum cognitioni totum systema superstruatur. ad 4, d. a. ordo naturalis sciendi remotus incipit à sensibilibus c. a. ordo sciendi proximus, n. a. licet enim forte ad conficiendum systema scientificum requiratur sylva variarum idearum, quæ à sensibus menti impressæ sunt; nondum tamen hæc tam variarum idearum mixtura est ipsa scientia; sed debent tales ideæ primum secundum se considerari ac combinari; & hoc ordine proximè nascitur scientia. Dein universaliter verum non est, nihil esse in intellectu, quod prius non fuit in sensu; nam voluptas, dolor, gaudium; metus, spes, appetitus, volitio, ac cognitio experimen-

mentaliter menti nota sunt, etiamsi nunquam fuissent in sensibus.

13. Ob. 3. Cont. 2. Concl. in idea albedinis includitur idea existentiæ, idea individuationis, idea claritatis, relationis &c. ergo idea albedinis non probat dari ideam simplicem. 2. possunt partes alicujus ideæ tantum obscure ac confuse obversari menti, ita ut non possint discerni ab invicem; ergo non sequitur ullam ideam esse simplicem, licet non possimus in illa distinguere diversas partes. Respond ad 1. t. a. n. C. quia illæ ideæ, quæ dicuntur includi in idea albedinis, vel sunt tantum diversa nomina ejusdem albedinis, non diversæ partes. Vel si vis has ideas existentiæ, individuationis, claritatis &c. inter se diversas esse; aut si mentali experientiâ omnino sentis hanc diversitatem; tunc prædictæ ideæ potius dicendæ sunt concomitari ideam albedinis, quam in ea includi; & sic ob ipsam harum idearum interse diversitatem probatur simplicitas albedinis, existentiæ, individuationis, claritatis &c. ad 2. n. a. quia, ut sequenti quæstione probatur, est impossibile, aliquid immediate obversari menti, quin clare ac distinctè obversetur. Et si enim aliqua imago v. g. picta, aut in Camera obscura projecta non adæquate exprimat partes sui prototypi, exprimit tamen clare ac distinctè suas partes, si sufficienter applicatur oculo.

QUÆSTIO II.

An Ideæ sint perfectissima rerum imago?

Conclusio 1. Omnis idea immediate, ac primario tantum repræsentat menti seipsam. pb. C. nec est essentiale, nec proprium ideis ducere mentem in notitiam rei à se distinctæ, ergo idea, quantum est de se; tantum repræsentat seipsam. pb. ant. pleræque ideæ, quæ nobis per diem obversantur, non ducunt nos in notitiam rei à se distinctæ; ergo hoc non est illis essentiale, nec proprium: ant. pb. pleræque ideæ, quæ nobis perdiem obversantur sunt sine ulla affimatione aut negatione; sed tales ideæ nos non ducunt in notitiam rei à se distinctæ, Ergo. maj. patet, quia pleræque nostræ cognitiones sunt tantum simplices apprehensiones, in quibus non est dicenda includi ulla affirmatio aut negatio, cum de ea nobis

bis experimentaliter nihil constet, min. pb. non constat, nos in simplici apprehensione duci in notitiam rei ab idea distinctæ; ergo hoc non est asserendum. Conf. quando studio tantum volo tendere in ideam solis, non cogitando de ulla re ab hac idea distincta; tunc sentio eodem modo mihi obversari ideam solis, quo solet obversari in alia simplici apprehensione solis; ergo sicut in priori casu idea solis tantum repræsentat seipsam, ita se repræsentat tantum in omni alia simplici apprehensione. Veritas hujus conclusionis etiam exhiberi potest per imagines in Camera obscura projectas; solet enim oculus diu defixus hærere in consideratione & admiratione harum imaginum, nil cogitando, quod sint imagines rei à se distinctæ: cur igitur mens non possit hærere in consideratione idearum secundum se, non referendo eas ad ullum objectum extrinsecum?

2. Pb. 2. si omnis idea in apprehensione simplici essentialiter duceret in notitiam rei a se distinctæ, tunc deberent menti obversari duo; nempe idea, tanquam imago, & alterum, quod per ideam repræsentatur; sed hæc est contra experientiam, ergo min patet, quia dum cogito *Sol* non sentio mihi obversari duos soles, unum repræsentantem, alterum repræsentatum, maj. pb. quando imago picta Cæsaris me ducit in notitiam Cæsaris a se distincti, tunc sentio mihi obversari duo; nempe picturam; & hominem; cujus cum pictura similitudinem confero; ergo idem deberet fieri circa ideas simplicis apprehensionis.

3. Corollarium. patet proin, ideas non esse aliquid essentialiter relativum, cujus tota essentia consistat in hoc, ut ducant in notitiam rei a se distinctæ; sed esse aliquid absolutum, quod se solo & ratione terminat cognitionem humanam; si vero ideas volumus referre ad objecta extrinseca ab ideis distincta; id non fit per apprehensionem simplicem ideæ, sed per alium actum mentis, quo duarum rerum inter se similitudinem apprehendimus, aut affirmamus, aut quo certe ipsis ideis quandam existentiam extrinsecam affirmando superaddimus, sumendo idem per modum duorum.

4. Conclusio 2. Omnis idea repræsentat se ipsam clare, distincte, & adæquate. pb. C. non constat aliquid includi v. g. in idea albedinis, quod non clare ac distincte afficiat mentem; ergo idea albedinis repræsentat seipsam clare, distincte, & adæquate, ant. pb. ex sol. ob.

5. Pb. 2. quidquid omni modo identificatur cum idea, debet eodem modo obversari menti, sicut obversatur ipsa idea, ergo

necess-

necessario repræsentat idea se totam clare ac distincte, ant. pb. omnis idea immediatè perseipsam obversatur menti, ergo quidquid omni modo identificatur cum idea, debet eodem modo obversari; cùm enim nullo intercedeate medio idea menti obversetur, est impossibile, ut mens nunc tendat in ideam hoc modo, postmodum vero alio modo; quia inter ideam & mentis cognitionem nullus intermedius modus intercedit.

6. Pb. 3. Quidquid non repræsentatur clare ac distincte ut contentum in aliqua idea, potest ab hac idea esse diversum ac distinctum; ergò quidquid in aliqua idea non continetur clarè ac distinctè, necessariò est diversum ac distinctum ab illa. C. patet, quia quod potest esse distinctum ab altero, debet necessariò habere aliquod distinctivum ab altero; quomodo enim posset distingui sine distinctivo? si autem habet aliquod distinctivum ab altero, necessariò distinguitur ab illo. ant. pb. in tali distinctione consideratis omnibus non apparet ulla implicantia, & insuper integrum scientiæ systema claram acquirit omnium partium connexionem, ergo quidquid non clarè continetur in idea, potest esse distinctum ab illa. ant. patebit ex sol. ob. & ex dicendis. Nota autem hoc argumentum esse positivum, quia possibilitas distinctionis assertæ probatur positivè è connexione totius systematis scientifici; sicut possibilitas alicujus machinæ in mathematicis positivè probatur è connexione omnium partium considerandarum.

7. Pb. 4. Quidquid non repræsentatur claré ac distinctè in aliqua idea; vel potest repræsentari per aliam ideam claram à priori diversam; vel non potest? neutrum potest dici: ergo neque potest dici quidpiam in idea repræsentari, quod non clarè ac distincté repræsentetur min. pb. si id, quoddicitur obscure repræsentari, potest repræsentari per aliam ideam claram a priori diversam, tunc manifestum est; hujus rei ideam esse diversam a priori; adeoque non posse contineri in illa; cum distinctivum, manente eadem re, non possit tolli a re. Si verò id, quod dicitur obscure repræsentari, nunquam potest repræsentari per aliam ideam claram, propriam, ac a priori continente diversam, tunc falsum est, id obscure repræsentari; nequit enim aliqua res dici esse in statu obscuro, cujus status clarior est impossibilis. Igitur dicendum, omnia, quæ in ideis includuntur, æquali claritate menti obversari ac repræsentari. Veritas hujus conclusionis, ut præmonui, aliquo modo exhiberi potest per imagi-

imaginem in Camera obscura projectam; licet enim hæc imago dicatur obscurè exprimere suum prototypon, non tamen dicitur obscurè exprimere seipsam, si oculo sufficienter applicetur.

8. Corollarium. 1. Hinc ultro consequitur veras esse sequentes propositiones. 1. Omnis idea est clara ac adæquata sui repræsentatio. 2. In ideis nil continetur, quod non clarè ac distinctè repræsentatur. 3. Quidquid menti clarè ac distinctè non repræsentatur, omnino non repræsentatur. 4. Quidquid per unam ideam clarè non repræsentatur, potest ac debet repræsentari per aliam ideam à priori diversam. 5. Omnis idea discernit se clarè ac distinctè ab omni alia idea. 6. In idea composita singulæ partes simplices æquè clare obversantur, ac si seorsim obversarentur.

9. Corollarium 2. Nulla idea per aliam explicari aut intelligi potest, sed cognitio cujusque ideæ per seipsam est plenissima, atque exhaurit totam cognoscibilitatem ideæ, quia nihil in idea relinquitur, quod non clarè cognoscatur, ac distinctè. Igitur finis ac terminus humanæ cognitionis est intellectio ideæ; & quando ad eam perventum est, cessant omnes quæstiones, quia in idea nil ulterius cognoscendum relinquitur, quod non cognoscatur statim cum ipsa idea.

10. Conclusio 3. Omnis idea est perfectissima imago alterius rei à se distinctæ. Sensus conclusionis est, quod omnis idea possit esse, aut actu sit imago alterius rei, quæ potest existere vel actu existit, sicut, quando intueor figuram hominis pictam, aut in Camera obscura projectam; possum dicere, hanc figuram posse esse imaginem hominis actu existentis. Pb. Concl. omnimoda similitudo inter ideas & objecta idearum est possibilis; ergo est necessaria. C. patet, quia similitudo tantum est possibilis inter duo similia; inter duo verò dissimilia similitudo omnino est impossibilis. Ant. pb. si consideratis omnibus in tali similitudine non apparet implicantia; & tali similitudine posita in toto scientiarum systemate non sequitur inconveniens; tunc est possibilis, sed, ergo, min. pb. quia talis implicantia aut inconveniens non potest ostendi; quin potius potest ostendi, posita tali similitudine totum scientiarum systema miram obtinere connexionem partium.

11. Pb. 2. Sunt possibilia objecta ab ideis distincta, & tamen cognoscibilia, ergo necessariò datur omnimoda illorum objectorum cum ideis similitudo. In antecedenti non potest ostendi implicantia. C. pb. illa objecta non sunt cognoscibilia per seipsa, quia quod immediatè perseipsum obversatur menti, vocatur Idea; ergo illa objecta tantum sunt cognoscibilia per ideas sibi similes.

12. Pb. 3. Si idea non foret perfecta imago objecti à se distincti, tunc tantum foret illius signum; sicut v. g. vox est signum objecti; aut sicut fumus est signum ignis; aut sicut semen est signum arboris; sed non est tale signum, ergo est perfecta imago. pb. min. omnia talia signa tantum ducunt in notitiam rei jam aliunde per seipsam notæ, ergo idea non est tale signum objecti. Ant. patet, quia nemo poterit sibi imaginari ignem, aut arborem, si tota sua vita nunquam viderit ignem aut arborem, etiamsi millies vidisset fumum, aut semen arboris; similiter ex sola voce albedinis aut lucis cæcus nunquam veniet in notitiam albedinis aut lucis, nisi nempe notitiam albedinis aliunde, quàm e tali signo, acquirat: omne enim signum est rei jam aliunde notæ signum. C. pb. objecta idearum non possunt nobis aliunde esse nota nisi per ipsas ideas, ergo ideæ non sunt tale signum, quod manifestat rem jam aliunde notam: ac proin, si ideæ manifestant objecta per seipsas, necesse est, ut sint perfecta imago objectorum.

13. Pb. 4. Datur veritas; ergo datur perfectissima idearum cum objectis conformitas. Ant. patet, quia est impossibile omnem affirmationem aut negationem circa idem objectum esse falsam; cum idem non possit simul esse, & non esse; quin, si omnis alia affirmatio foret falsa, saltem vera esset hæc: Non datur veritas; Ergo eoipsò datur veritas. C. pb. veritas nihil aliud est, quam perfectissima idearum cum objectis conformitas; ergo si datur veritas, datur etiam conformitas. Ant. pb. si quis affirmat veritatem suæ propositionis tunc sentit se omninò solum affirmare omnimodam conformitatem objecti cum suis ideis, ergo. Homines certè, quando dicunt, reverà res ita se habet, res ita est; non attendunt ad aliquam similitudinem tantum proportionalem objecti cum suis ideis; sed putant omnimodè objectum ita se habere, sicut per ideas menti proponitur.

14. Pb. 5. Quando concipio murum album; possum dicere: hoc objectum est prorsus eodem modo possibile extra mentem, sicut mihi obversatur in mente; ergo gratis, & contra inclinationem ac dictamen propriæ mentis dicitur; murum album possibilem tantum habere conformitatem proportionalem cum meis ideis.

15. Pb. 6. Ideæ sunt secundum se indefinitæ, nec in seipsis includunt determinationem ad hunc locum, ad hoc tempus, ad hoc subjectum; ergo possunt existere in alio loco, alio tempore, & alio subjecto; ergo eòipsò est possibilis res à meis ideis distincta, quæ tamen iisdem sit simillima, ac ejusdem naturæ. Conf. in aliorum hominum

minum mente existunt ideæ meis ideis perfectissimè similes ; ergo etiam extra mentem possunt existere tales ideæ meis omnino similes ; & tales ideas ad statum realem contractas cur non liceat vocare objecta realia?

16. Pb. 7. Omnium hominum tam doctorum quàm indoctorum persuasio est, quidditates rerum esse proprium objectum intellectus, intuitivè ac eodem modo cognitum, sicut ab oculo cognoscitur color ; at ab oculo intuitivè cognoscitur color per omnimodam similitudinem, ergo & quidditas rerum ab intellectu, seu perfectiones reales. Conf. homines credunt se talem notitiam habere objectorum realium, qualem notitiam habent de cognitionibus, & aliis affectionibus mentalibus aliorum hominum ; at hanc notitiam habent per rem omnimodè similem, ergo & illam. min. patet, quia judicamus in aliis hominibus dari tales ideas, tales volitiones, talem voluptatem, talem amorem, compassionem, qualem in nobis ipsis experimur : id, quod experimentali notitia sentimus nobis immediatè obversari, credimus modo prorsus consimili reperiri in aliis hominibus ; ergo credamus etiam aliquid ideis nostris simile modo prorsus consimili reperiri à parte rei ; cùm non videatur dari alius modus cognoscendi respectu horum, quàm illorum objectorum.

17. Corollarium 1. Ergo omnis diversitas, ac distinctio, quæ reperitur inter ideas, reperitur etiam à parte rei ; omnis verò illa diversitas, quæ non reperitur inter ideas, non reperitur à parte rei ; quia omnis idea est sui objecti in omnibus perfectissima imago.

18. Corollarium 2. Adeoque ideæ non sunt ipsa objecta ex seipsis immediatè menti obversantia ; sed sunt imago objectorum ; an verò hæ ideæ existant in mente, vel in Deo, vel separatim extra mentem, vel extra Deum ; nondum convenit demonstrare. Nihilominus quoad modum loquendi possunt referri ad mentem, quia immediatè obversantur menti.

Solvuntur Objectiones.

19. Ob. 1. Cont. 1. Concl. Omnis simplex apprehensio est alicujus rei apprehensio, omnis cognitio est alicujus rei cognitio, ergo omnis idea essentialiter refertur ad objectum existens vel possibile. 2. Omnis visio est objecti extrinseci visio, ergo etiam cognitio. 3. Est aliquod ens possibile, quod mentem essentialiter ducat in notitiam rei à se distinctæ ; at hoc officium non convenit alteri enti, nisi ideis, ergo. 4. Omnis idea essentialiter potest saltem referri ad objectum extrinse-

trinsecum, ergo habet referibilitatem ac relationem intrinsecam ad objectum; igitur essentialiter ducit in notitiam rei à se distinctæ. 5. Si idea non referretur perseipsam ad objectum extrinsecum, tunc deberet ad illud referri per aliam ideam, & hæc iterum deberet referri ad objectum extrinsecum per aliam; & sic in infinitum, quia nulla idea ex se ipsa essentialiter referretur ad objectum extrinsecum. 6. Potest dici; nullam dari apprehensionem simplicem sine aliquo implicito judicio, quo judicamus, id, quod apprehendimus per ideam, esse saltem aliquid possibile; vel esse revera id, quod volumus apprehendere. 7. Si ideæ se ad cognitionem tantùm habent ut quo, tunc etiamsi repræsentant aliquod objectum extrinsecum; non necesse foret obversari nobis duo objecta, unum repræsentans, alterum repræsentatum; sed ideæ se tantum habent, ut quo, ergo. maj. patet in simili; sic enim lumen, mediante quo objectum cognoscitur, non est objectum, *ut quod*, oculi. Nec ipsa species seu imago objecti, oculo impressa, cognoscitur ab oculo, quia nempe se tantum habet, ut quo. 8. Idea nihil aliud est, quam ille actus mentis, qui vocatur cognitio; sed ille actus licet sit simul assimilativus, est essentialis tendentia in aliud, ut experimentali notitia constat; ergo ipsa idea identificata cum hoc actu est essentialis tendentia in aliud. Resp. ad 1. t. a. & C. n. suppositum, quod ideæ non sint aliqua res existens. ad 2. n. a. quando ipse oculus est imbutus aliquo peregrino colore, tunc visio est tantum coloris existentis in oculo; sic nonnullis videntur omnia flava; & quando oculus aliquamdiu in aspectu solis defigitur, converso dein oculo ad alia objecta, omnia videntur flava, succedentibus dein variis coloribus; ergo non est de ratione visionis, videre objectum extrinsecum; quin phrenetici putant se videre objecta præsentia, quæ nunquam sunt; quod verò regulariter per oculum videamus objecta extrinseca; non verò per cognitionem; ratio est, quia expedit oculum omni forma propria privatam; impediretur enim per eam à visione objectorum extrinsecorum; quia verò mens per suas deas non impeditur à consideratione aliorum objectorum, non repugnat, mentem toties detineri in consideratione suarum idearum. ad 3. t. maj. n. min. potest dici, quod hoc officium conveniat ipsi cognitioni, seu actui mentis, quo tendit mens in ideam. ad 4. c. a. d. c. ergo habet referibilitatem negativam. c. C. positivam. n. C. id est, non repugnat ideam referri per relationem superadditam; antequam verò referatur ad objectum, illam relationem positivam nondum habet. Posset etiam inverti argumentum sic; idea tantum habet referibilita-

tem

tem ad objectum ; ergo non habet relationem. ad 5. d. maj. deberet referri per aliam ideam relativam. t. absolutam. n. maj. ipsa enim relatio ideæ superaddita non necesse habet. referri per aliam relationem. ad 6. n. a. quia est contra experientiam. ad 7. C. maj. n. min. quia sentimus ideas obversari *ut quod*; sicut quando oculis obversatur murus ; Murus autem non se habet, ut quo. Veriùs loquendo, dicendum est, nec murum , nec imaginem oculo impressam esse objectum oculi; neque enim oculus videt, sed homo seu mens per oculum videt; adeoque in ipsa visione revera tantum videtur idea immediatè menti obversans. ad 8. n. a. quia tendentia mentis in ideam est aliquid relativum, idea tanquam objectum ut quod est aliquid absolutum ; igitur hæc duo inter se diversa sunt ; aut si inter se identificata sunt, dicendum esset, cognitionem reflecti in seipsam, & esse suiipsius cognitionem.

20. Obj. 1. Cont. 2. Concl. In idea v. g. ovi, aut albedinis includitur individuatio , qua hæc idea distinguitur ab alia idea, excepta individuatione, prorsus consimili. Sed hæc individuatio non clare repræsentatur, ergo non omne, quod in idea includitur, clarè repræsentatur. min. patet, quia sicut unum ovum non possum discernere ab ovo prorsus consimili; ita unam ideam ovi non possum discernere ab alia idea ovi consimili. 2. In omni idea dantur partes ; sed hæ partes non obversantur distinctè menti, ergo. maj. pb. omnis idea potest fieri clarior & obscurior; ergo in omni idea dantur partes ; quia intensio, aut remissio claritatis non potest explicari sine additione aut subtractione partium claritatis. 3. Omnis idea intrinsecè includit relationem producti ad producens ; sed hæc non obversatur distinctè. 4. Omnis idea , cognitio, volitio , aut affectio mentis tantum cognoscitur per species abstractas sensibilium, ergo non possunt clarè cognosci in seipsis. Ant. pb. omnis idea, cognitio &c. est aliquid spirituale, ac incorporeum ; sed ens spirituale in hac vita non potest cognosci, ut est in se; quia non possumus concipere spiritum, nisi per modum entis corporei ; & aliunde constat , omnem cognitionem oriri à sensibus , nec esse aliquid in intellectu , quod prius non fuerit in sensu. 5. Si idea cognosceretur adæquatè, tunc nec Deus posset habere perfectiorem cognitionem ideæ, quàm homo haberet ; sed hoc malè sonat, ergo. 6. non repugnat , ut eadem idea in diversis circumstantiis diversimodè afficiat mentem, ergo non repugnat, ut secundum quid cognoscatur clarè, & secundum quid obscurè ; inquantum nempe cognoscitur secundum unum modum , & non cognoscitur secundum alium. 7. Potest aliquod objectum à longe se movens cognosci

 clarè,

clarè, & ſecundum quid obſcurè; ergo etiam eadem idea. Ant. pb. ſi in tali objecto tantum video ſigna ſenſationis, nulla verò ſigna hominis aut ratiocinationis; tunc cognoſco hoc objectum clarè ſecundum animalitatem, non tamen cognoſco idem clarè ſecundum rationalitatem aut individuationem. 8. Poteſt eadem idea cognoſci in ordine ad unum connotatum, & non cognoſci ad alterum, ergo poteſt ſecundum quid clarè & ſecundum quid obſcurè cognoſci. Ant. pb. poteſt idea cognoſci in ordine ad ſuam cauſam principalem, quin cognoſcatur in ordine ad cauſam ſecundariam, aut in ordine ad ſuum effectum, aut in ordine ad circumſtantias individuantes. 9. Datur aliquod intermedium inter mentem, & ideam; ex cujus diverſitate eadem idea poſſit diverſimodè repræſentari; ergo. pb, ant. cognitio ideæ eſt inter ideam & mentem intermedia, & hæc cognitio eſt intrinſecè ipſius ideæ repræſentativa; ergo ſi hæc cognitio poſſit variis modis repræſentare eandem ideam, poteſt eadem idea clare & obſcure repræſentari; cur enim non poſſit eadem res diverſis imaginibus exprimi?

21. Reſpondeo ad 1. n. maj. quia non ſentio hanc individuanem includi; ex eo verò, quod omnis idea ſit individua, plus non ſequitur, niſi quod individuatio concomitetur ideam; ſicut murus eſt albus per albedinem concomitantem, diſtinctam tamen. ad 2. n. maj. ad pb. c. a. n. C. quia claritas ideæ eſt diſtincta ab ipſa idea; & ipſa claritas intendi aut remitti poteſt ſine ulla additione aut ſubtractione partium, ut ſuo loco videbimus. ad. 3. n. maj. hæc enim relatio eſt diſtincta ab idea, quomodocunque ſit diſtincta; quia poteſt eſſe diſtincta. ad. 4. n. a. ad pb. c. maj. n. min. falſum enim eſt, ea qu ſunt in mente noſtra, ipſi menti ignota eſſe; aut quam ſpeciem ſubſtitues actui amoris, miſericordiæ? ubi invenies inter ſenſibilia aliquid ſimile cognitioni, amori &c. igitur & ſpiritualia propriæ mentis cognoſcuntur in ſeipſis, & ex horum ſimilitudine devenimus in notitiam aliorum ſpirituum. ad 5. n. maj. quia licet Deus non cognoſcat plus in ideis, quàm homo, cognoſcit tamen eas modo perfectiori; majori perfectione ſe tenente ex parte cognoſcentis, aut cognitionis; licet exceſſus iſtius majoris perfectionis ſit homini inexplicabilis, quia nullam habemus illius experientiam, adeoque nullam etiam ideam; niſi dicere velles, à Deo eandem ideam cum majori lumine cognoſci. ad 6. n. a. idea eſt aliquid ſimplex, & immediatè applicatur menti; nec concipi poteſt iſte diverſus modus; cum tamen, ſi daretur, neceſſario deberet concipi, quia obverſaretur menti. Certè, quando [illegible] conci-

concipio albedinem, femper eodem modo illam concipio, quotiefcunque illam concipio. ad 7. c. a. n. C. quia tale objectum diverfas partes habet; ad 8. c. a. n. C. quia ille ordo feu relatio ad diverfa connotata eft aliquid diftinctum ab idea; nam poteft effe aliquid diltinctum. Dein ponamus, eandem cognofci in ordine ad diverfa connotata; nunquid neceffe erit, in tali cafu cognofci ipfa connotata? jam quæro, an hæc connotata cognofcantur clare, ac diftinctè, & adæquate? Si non cognofcuntur adæquatè, tunc idem connotatum cognofcetur fecundum quid clare, & fecundum quid obfcurè; id eft, cognofcetur in ordine ad aliquod connotatum clare; non verò in ordine ad aliud connotatum; & fic in connotatis proceditur in infinitum. Si verò connotatum cognofcitur adæquatè, eoipsô jam conftat aliquid dari, cujus habetur adæquata cognitio; quo femel admiffo non erit difficultas, fi hoc idem afferatur de Ideis. ad 9. n. a. ad pb. t. a. & C. n. fuppofitum, quod cognitio ideæ poffit ideam diverfimodè repræfentare; quia cognitio tantum eft medium cognofcendi *ut quo*; igitur nihil immutat circa objectum, fed illud tantùm applicat: cognitio non cognofcitur, fed cognitione idea cognofcitur; igitur etiamfi incognitione daretur diverfitas, illa diverfitas non effet objectum mentis ut quod; nec refunderet diverfitatem objectivam in ipfam ideam, adeoque idea, non obftante illa diverfitate cognitionis, adhuc obverfaretur menti femper eodem modo. - At ratio principalis, cur cognitio non poffit ideam diverfimodè repræfentare menti, eft hæc; quia cognitio, fi eft repræfentativa ideæ, eft ejusdem repræfentativa per modum imaginis propriæ ac fimillimæ; idem autem objectum fecundum idem non poteft repræfentari per plures imagines diverfas inter fe, & tamen fimillimas uni tertio.

Dices: Non eft neceffe, ut cognitio fit omnimoda imago ac fimilitudo fui objecti: Ergo ficut ejusdem rei poffunt dari diverfa figna, aut imagines imperfectæ; ita etiam poterunt ejusdem objecti dari diverfæ cognitiones: igitur idem objectum poterit clarè cognofci per unam cognitionem, quin eoipsô clarè cognofcatur per alteram; feu, quod idem eft, poterit objectum cognofci inadæquatè; poterit cognofci fecundum unam formalitatem feu cognofcibilitatem, quin cognofcatur fecundum alteram; poterit denique fecundum unam formalitatem clarè cognofci, quin clarè cognofcatur fecundum alteram. Nam concipi idem objectum per diverfos

conce-


conceptus inadæquatos reverà nihil aliud eſt, quàm idem objectum totum repræſentari una cognitione, ſeu imagine impropria, & non repræſentari alia cognitione, ſeu alia imagine impropria. Reſp. n. a. & ſic corruit totum ſyſtema iſtorum inadæquatorum conceptuum; ſicut enim non poſſunt ejusdem indiviſibilis rei concipi diverſæ imagines propriæ, ita nec diverſi conceptus inadæquati.

Dices 2. poteſt una eademque res æquivalere diverſis perfectionibus, ergo poterit repræſentari diverſis imaginibus etiam propriis ac ſimillimis ſecundum unam perfectionem. Conf. nummus aureus æquivalens decem argenteis poteſt ab his in valore inadæquate perfectiſſimè exhiberi, ergo & alia res à cognitione. Reſp. n. a. quomodo enim poſſibile eſt reperiri diverſitatem inter imagines ſimillimas objecto; & non reperiri illam diverſitatem in ipſo objecto! planè ſicut imagines propriæ repræſentant perfectiones objecti, ita diverſitas imaginum repræſentat diverſitatem perfectionum; alioquin imagines non erunt ſimillimæ.

Dices 3. poteſt fieri, ut per diverſas cognitiones ejusdem rei, nec affirmetur, nec etiam repræſentetur plurium identificatarum perfectionum diverſitas, ſed tantum non repræſentetur earundem identitas; ergo non repugnat diverſis cognitionibus repræſentari eandem rem. Ant. pb. poſſum ejusdem cubi aut coni diverſas ſectiones concipere, quin ullam in cubo aut cono concipiam diverſitatem partium, ergo. Reſp. n. a. quomodo enim cognitiones diverſæ ſunt in repræſentando, niſi repræſentetur in objecto diverſitas? ad pb. t. a. n. C. & ſupp. quod idea ſectionum, & idea cubi aut coni aliquando per identitatem conveniant: ut enim ſuo loco probabitur, idea cubi aut coni eſt idea ſimplex, in qua ante diviſionem nec reperitur, nec repræſentatur diverſitas; idea ſectionum eſt etiam ſimplex, ſed tales ideæ non ſunt ideæ ejusdem rei, ſed cubi aut coni jam in partes diviſi. Obj. 3. Cont. 3. Concl. idea Dei, & Spirituum non eſt imago ſimillima Deo, & Spiritibus, ergo nec idea aliarum rerum. 2. Si idea eſſet in omnibus ſimillima ſuo objecto, tunc nulla daretur illius ab objecto diſtinctio; ſed hoc eſt falſum; quin omnis ſimilitudo claudicat, ſeu eſt cum aliqua diſſimilitudine, ergo. 3. Ideæ non ſunt corporeæ, non ſunt tricubitales, non ſunt calidæ, nec frigidæ; ergo nequeunt eſſe imago ſimillima corpori, tricubitali longitudini,

calori,

calori, frigori. 4. Si ideæ de diversis perfectionibus ejusdem rei, v. g. hominis essent imago simillima, tunc omnes hæ perfectiones forent inter se realiter distinctæ; sed hoc est impossibile, quia una res non est multæ res. Resp. ad 1. c. a. n. C. quia aliarum rerum perfectiones v. g. cubi possunt magna exparte exhauriri; & hinc idea tot perfectionum cubi potest convenienter vocari idea totius cubi; quia verò de Deo & Spiritibus ne minimam quidem partem perfectionum cognoscimus, ideò non potest dici; nos habere ideam Dei aut Spirituum; saltem hoc non potest dici simpliciter & sine addito; sicut nemo dicitur habere scientiam linguæ Græcæ, aut Hebraicæ, aut Gallicæ, qui tantum novit aliquas phrases Græcas, aut Hebraicas, alioquin omnes fere Germani nossent linguam Gallicam; parum semper in talibus pro nihilo reputatur. Per hoc tamen non sequitur, nos ne quidem secundum quid, id est, secundum unam vel alteram perfectionem Deum propriè cognoscere; si enim existentia Dei convenit univocè cum existentia creaturæ, & si justitia, ac misericordia Dei convenit univocè cum justitia creata; cur non possimus existentiam, justitiam, ac misericordiam Dei æquè cognoscere conceptu intuitivo proprio, sicut cognoscimus existentiam, & justitiam creatam? Verùm an perfectiones divinæ conveniant univocè cum perfectionibus creatis, videbimus suo loco: si tantum conveniunt analogicè; dic simpliciter, nullam dari ideam Dei, ac divinarum perfectionum; dari tamen ideam aliarum rerum, quia potest dari. ad 2. d. a. nulla daretur distinctio intrinseca. c. a. extrinseca. n. a. qualis verò sit hæc distinctio, videbimus infra. ad 3. d. a. non sunt corporeæ &c. positivè. c. a. non sunt corporeæ negativè. n. a. nam ideæ de se nec sunt corporeæ, nec incorporeæ, sed ad utrumque statum indifferentes, ut suo loco videbimus. ad 4. n. a. ratio negandi patebit ex sequenti quæstione.

QUÆSTIO III.

Quænam sit idearum, & rerum inter se distinctio.

COnclusio 1. Essentia & Existentia distinguuntur, id est, in omni re, v. g. in albedine reperiuntur duo; unum, per quod res non est nihil, sed aliquid; & hoc voco existentiam; alterum, per quod res est tale aliquid & hoc voco essentiam: sic albedo est aliquid, sed non est tantum aliquid, quia insuper est tale aliquid, nempe, est albedo; per hoc, quod albedo sit aliquid, convenit cum alia re; per hoc verò, quod sit albedo, disconvenit ab omni alia re; quando cæco dico, albedo est aliquid, tunc incipit secum versare animo istud aliquid, ipsam tamen albedinem non assequitur; novit partem albedinis, dum novit eam esse aliquid; totam tamen albedinem non novit; quia non novit hoc aliquid esse albedinem; novit nempe existentiam albedinis; non novit essentiam. Conclusio sic explicata pb. idea existentiæ est diversa ab idea essentiæ, ergo essentia & existentia distinguuntur. C. patet. quia ideæ in omnibus sunt imagines rerum simillimæ rebus. Ant. pb. quando habeo ideam existentiæ, nondum habeo ideam ullius essentiæ v. g. albedinis, ergo idea existentiæ est diversa ab idea essentiæ. Ant. pb. quando dico, *aliquid*, non cogitando de ulla re determinata, tunc habeo ideam existentiæ; sed hic nondum habeo ideam ullius essentiæ, ergo possum habere ideam existentiæ, quin habeam ideam ullius essentiæ. min. patet, cùm enim clarè nulla ullius determinatæ rei idea obversetur, sequitur omninò talem ideam nullam obversari. maj. pb. in hoc casu obversatur mihi idea omnium indeterminatissima, sed hæc est idea existentiæ, ergo. min. patet, quia in hoc solo omnia conveniunt, quod non sint nihil; & hoc fit per existentiam; maj. pb. obversatur mihi aliquid, & non possum dicere, quidnam illud sit, ergo obversatur idea omnium indeterminatissima. Ant. pb. sentio me cogitare, ac tendere in aliud; ergò obversatur mihi aliquid.

Corollarium. Hinc existentia definiri posset, quod nec sit quid, nec quale, nec quantum, nec aliud eorum, quibus ens determinatur, sed horum omnium actus: Quia facit, ut omnia actu sint aliquid.

Conclu-

Conclusio 2. Essentiæ & Existentia realiter distinguuntur. pb. distinctio, quæ cadit super constitutivum rei, meritò vocatur realis; sed distinctio inter essentiam & existentiam cadit super constitutivum rei, ergo. maj. dependet ab arbitrio & usu hominum. min. pb. hæc distinctio cadit super existentiam, sed existentia est constitutivum rei, ergo. min. patet, quia sola existentia facit, ut res sit res, & non nihil. Conf. quando distinctio afficit id, quod est maximè reale, tunc distinctio potest vocari realis; sed hæc distinctio afficit id, quod est maximè reale, ergo. min. pb. quia distinctio afficit existentiam, quæ est ipsa realitas, seu constitutivum rei.

Conclusio 3. Individuatio rei distinguitur à re, id est, quælibet res, v. g. albedo secundum se non est hæc, aut illa albedo; sed limitatur ad has vel illas circumstantias per aliam rem à se distinctam; res illa, per quam albedo secundum se illimitata limitatur, vocatur individuatio. pb. Concl. Idea individuationis est diversa ab idea rei v. g. albedinis, ergo individuatio est distincta. C. patet, quia diversitas rerum sequitur ad diversitatem idearum. Ant. pb. idea albedinis nondum repræsentat hanc vel illam albedinem; ergo idea individuationis non includitur in idea albedinis. Conf. potest idea albedinis clarè obversari menti, quin clarè obverserur ejus individuatio, ergò idea albedinis non est idea individuationis. Ant. pb. quando concipio duo alba prorsus similia v. g. ova, clarè concipio albedines, & tamen non clarè concipio individuationes, quia ob nimiam similitudinem non possum ista duo alba discernere. Conf. 2. ordo albedinis ad hoc subjectum, vel ad has circumstantias non est ipsa albedo; sed hic ordo est ipsa individuatio, ergo individuatio albedinis non est ipsa albedo. maj. patet, quia albedinis idea non dicit illum ordinem. min. probabitur suo loco.

Conclusio 4. Omnes perfectiones ejusdem rei, quarum habetur diversa idea, inter se distinguuntur. Patet, quia diversitas rerum sequitur ad diversitatem idearum.

Conclusio 5. Individuatio, & aliæ perfectiones ejusdem rei inter se inseparabiles tantum distinguuntur inter se virtualiter, non realiter. pb. Concl. hæ perfectiones non opponuntur sibi invicem in ratione constitutiva rei, ergo non distinguuntur realiter. Ant. pb. hæ perfectiones habent eandem existentiam, ergo non opponuntur sibi in ratione constitutiva rei seu existentia. Ant. pb. hæ perfectiones habent unicam individuationem, ergo etiam habent unicam existentiam. C. patet, quia existentia non potest multiplicari nisi per plu-

res individuationes, Ant. pb. hæ perfectiones limitantur inseparabiliter ad easdem circumstantias, ergo habent eandem individuationem seu limitationem. Conf. Hæ perfectiones non habent diversam realitatem; ergò non distinguuntur realiter. Ant. pb. non habent diversam existentiam, ergo neque diversam realitatem, quia realitas seu constitutivum formale rei est sola existentia. Ant. pb. possunt habere unicam, ergo habent.

Probatur etiam primum Conclusionis membrum, hæ perfectiones non distinguuntur actualiter, ergò tantùm virtualiter. pb. Ant. hæ perfectiones non habent diversam actualitatem, ergò non distinguuntur actualiter. Ant. pb. non habent diversam existentiam, ergò nec habent diversam actualitatem. pb. C. independenter ab existentia non intelligitur aliquod distinctivum à nihilo, ergo sola existentia est actualitas. Verùm non est litigandum de voce, modo fatearis, illas perfectiones habere unam existentiam, nec distingui inter se aut à nihilo independenter ab existentia; si velis vocare hanc distinctionem formalem ex natura rei; loquere ut vis, ego loquor cum pluribus; & eam voco virtualem.

Conclusio 6. Omnes perfectiones inter se separabiles distinguuntur realiter. pb. Concl. perfectiones inter se separabiles distinguuntur in ipsa realitate, ergò distinguuntur realiter. pb. Ant. quando perfectiones sunt separabiles, tunc una earum potest habere realitatem, quin eam habeat altera, ergo Ant. patet: quia realitas nil aliud est, quàm existentia, quam illæ perfectiones separabiliter participant.

Conclusio 7. Perfectiones inseparabiles, quarum una producit alteram, distinguuntur realiter. pb. Concl. tales perfectiones participant diversa conditione eandem realitatem, ergo distinguuntur realiter, id est, in modo participandi realitatem. Ant. pb. una talium perfectionum participat existentiam dependenter ab altera perfectione, ergo tales perfectiones participant diversa conditione eandem existentiam, quæ sola est realitas cujusque rei.

Corollarium 1. Hinc signum distinctionis realis est separabilitas; aut oppositio relativa producentis ad productum.

Corollarium 2. In distinctione virtuali una perfectio non potest simpliciter negari de altera; quia sunt una ac eadem res cum una eademque existentia; in omni autem negatione negatur Esse unius de altero; aut saltem negatur modus ac conditio essendi; cum igitur tales perfectiones virtualiter distinctæ pari conditione participent existentiam, non possunt de se invicem negari.

Corol-

Corollarium 3. Licet modus rei sit separabilis à re, ac propterea distinguatur realiter à re; potest tamen ejus distinctio vocari Modalis.

Corollarium 4. Quando eadem res concipitur in ordine ad diversa connotata; tunc eadem res distinguitur à seipsa distinctione, quæ vocatur Rationis ratiocinatæ. v. g. dum concipio Petrum mihi dextrum, & sinistrum; concipio quidem eundem Petrum, sed in ordine ad diversos situs; & hinc Petrus dexter à Petro sinistro distinguitur distinctione rationis ratiocinatæ; licet ipsa connotata distinguantur inter se realiter. Quando verò eandem rem tantum sub diversis nominibus concipio, tunc eadem res dicitur à seipsa distinctione Rationis ratiocinantis, v. g. quando dico: hic homo est Petrus; concipio ex parte subjecti & ex parte prædicati eandem rem. Signum distinctionis rationis ratiocinatæ est, quando mens sentit sibi obversari eandem ideam in ordine ad diversa connotata.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. & 2. Concl. Essentia & Existentia possunt identificari, ergo identificantur. pb. Ant. in tali identitate non apparet implicantia, ergo. 2. Essentiæ & Existentiæ non conveniunt contradictoria, ergo non distinguuntur. pb. Ant. si convenirent iis aliqua contradictoria, tunc convenirent sequentia: existentia est ratio conveniendi cum alia re; essentia non est ratio conveniendi. Existentia est separabilis à re; essentia non est separabilis. Existentia rei non est ab æterno; essentia est ab æterno &c. sed hæc non sunt vera contradictoria, ergo. min. pb. sensus harum propositionum potest esse sequens. Res per conceptum inadæquatum existentiæ potest comparari cum alia; non verò potest comparari per conceptum inadæquatum essentiæ. Potest res concipi in statu possibilitatis, quin concipiatur in statu actuali. Res secundùm statum possibilitatis est ab æterno; sed actu non est ab æterno. Atqui hæc non sunt contradictoria, ergo. 3. Potest res concipi in statu puræ possibilitatis, & secundum hoc vocari Essentia; & potest eadem res concipi in statu actuali, ac secundum hoc vocari Existentia; ergo Essentia & Existentia importat eandem rem in ordine ad diversa connotata seu diversos status. Resp. ad 1. n. a. quia diversæ ideæ necessariò sunt diversæ. ad. 2. n, a. ad. pb. n. maj. contradictio inter essentiam & existentiam est hæc; quod existentia repræsentetur per ideam existentiæ, & non repræsentetur per ideam essentiæ, ac viceversâ. Systema conceptuum

 inad-

inadæquatorum jam subversum est per similitudinem omnimodam idearum ad rem ad. 3. t. a. n. C. quia diversitas idearum infert diversitatem rerum; adeoque non eadem res, sed duæ in hoc casu obversarentur animo, nempe essentia, & existentia; verùm melius negatur antecedens, ut suo loco videbimus.

Obj. 2. Etiamsi nostræ ideæ sint similes alicui mundo possibili, tamen non constat, an sint similes huic nostro mundo, ergo ex earum diversitate non probatur rerum distinctio. 2. Etiamsi non cognoscantur res per nostras ideas eodem modo, quo sunt in se, possunt tamen servire ad obtinendam nostram felicitatem, & commendandam divinam bonitatem &c. ergo non est ratio dicendi, ideas nostras esse conformes huic nostro mundo. Resp. ad 1. n. a. contrarium patet ex probationibus, ad 2. n. a. quæ enim foret felicitas, si non satiaretur appetitus noster, quo volumus cognoscere res, ut sunt in se; & ex creatis perfectionibus intelligere increatas?

Dices: Identitas inter essentiam & existentiam potest concipi, ergo datur. Ant. pb. potest affirmari, ergo & concipi. Resp. n. a. ad pb. d. potest affirmari ore. c. mente. n. sicut enim in mente nunquam potero dicere, calor est frigus, voluptas est dolor, tam parum possum dicere, essentia est existentia.

Obj. 3. Essentia considerata secundum se foret omnino nihil, ergo non potest distingui ab existentia. C. patet, quia nullius entis nulla est proprietas, nulla distinctio. Ant. pb. essentia secundum se non habet ullum distinctivum à nihilo, ergo. 2. Non potest intelligi, quomodo duo distinguantur, nisi utrumque secundum se intelligatur existere. 3. Nihil potest uniri alteri, nisi utrumque secundum se jam sit ens; ergo nec essentia posset uniri existentiæ, nisi jam secundum se foret ens. Resp. ad 1. d. a. foret omnino nihil ut quod. c. a. foret nihil ut quo. n. a. res enim eodem modo sunt, quo intelliguntur, nec clarius explicari possunt, quàm intelligi: cum igitur essentia nunquam possit se sola, secundum se intelligi sine existentia; ideo non potest distingui à nihilo se sola, & secundum se; sed condistinguitur à nihilo cum existentia; & ideo non distinguitur, ut quod, seu ut ens; sed ut quo, seu ut pars entis. ad 2. n. a. quia potest intelligi idea albedinis, in qua dantur manifeste duo, ut probavi: si quæras, quomodo possit distingui essentia ab altero, nisi existat? Dico, hanc esse naturam essentiæ, ut habendo existentiam distinguatur ab existentia; quia ita obversatur menti. ad 3. n. a. quia contrarium probat idea albedinis.

Dices: Existentia non tribuit essentiæ aliquod distinctivum ab ipsa existentia, ergo si essentia non distinguitur se sola & secundum se ab existentia, etiam non distinguitur habendo existentiam. Resp. d. a. existentia non tribuit essentiæ aliquod distinctivum per additionem c. a. non tribuit distinctivum per quandam intrinsecam essentiæ creationem. n. a. dico igitur essentiam intrinsecè distingui à nihilo ut quo, quia nempè intrinsecè continuò quodamodo creatur ab existentia; creatur non per modum entis secundum se existentis, sed per modum compartis; igitur essentia nunquam secundum se fit ens, quia semper est ens per existentiam, tanquam suam formam non solum inhærentem, sed etiam se intrinsecè producentem, ac unum compositum constituentem.

Dices 2. Non potest intelligi, quomodo essentia intrinsecè producatur per existentiam, ergo ista quasi creatio est fictitia. 2. Creatio convenit soli Deo, ergo existentia non creat sibi essentiam. 3. Si essentia verè producitur intrinsecè ab existentia, tunc reverà habet aliquam existentiam seu distinctivum à nihilo intrinsecè ac per identitatem, ergo cessat omnis ratio, requirendi aliam existentiam superadditam distinctam. Resp. ad 1. n. a. si enim potest intelligi, quomodo aliquid producatur de novo, quod prius absolutè fuit nihil, ob solam vim causæ, cur id negetur de essentia ob vim existentiæ? At nihil facilius, quàm intelligere hanc productionem; nam sume ideam existentiæ indeterminatam adhuc; dein conjunge ideam albedinis; hæc determinati ad indeterminatum conjunctio est ipsa omnipotens productio; & talis est, qualis intelligitur. ad 2. c. a. n. C. quia ista quasi creatio non est vera creatio, sed tantum specialis productio; vel dicendum, quod essentiæ omnium rerum sint ab æterno à Deo intra semetipsum, sicut Deus dicitur à semetipso esse; ita etiam essentiæ sunt ab æterno per existentiam in Deo. ad 3. d. Ant. habet aliquam existentiam ac distinctivum ut quo. c. a. ut quod n. a. eoipso enim quod existentia ista essentiæ propria ac particularis non possit haberi sine idea existentiæ generalis, consequitur illam existentiam particularem esse intrinsecè insufficientem ad essendum ac distinguendum, quia nempe se solâ non potest intelligi; & hinc ista existentia tantum vocatur existentia ut quo.

Dices 3. Ex dictis sequitur, Existentiam nostram non multùm differre à subsistentia, per quam res constituitur in suo statu, in quo est; ergò. Resp. n. a. nam subsistentia tantùm à suis Patronis admittitur ad hoc, ut res jam aliunde existens quiescat in suo statu, nec

uniatur

tuniatur alteri rei : existentia verò nostra nil præsupponit aliunde existens, sed facit essentiam ita existere, ut sine se nequidem possit concipi.

Dices 4. Quod immediatè terminat actionem productivam, per seipsum existit; sed essentia immediatè terminat actionem productivam; ergo. Resp. t. maj. n. min. quia essentia producitur per existentiam; solum compositum producitur ut quod; essentia solum producitur ut quo; quia est id, quo compositum est. Et hinc nec essentia, nec existentia creatur ut quod; Existentia enim est id, quo creatur essentia, & hac mediante ens seu compositum.

Dices 5. Si essentia debet produci per existentiam, tunc ipsa essentia existentiæ debet produci per aliam existentiam; adeoque cum quævis existentia habeat essentiam, proceditur in infinitum. Resp. n. a. sicut enim murus fit albus per albedinem, & albedo non fit alba per aliam albedinem; ita etiam essentia particularis existit per existentiam, sed existentia non existit per aliam; sicut igitur non existit per aliam existentiam, ita neque producitur per aliam existentiam; & si producitur ipsa existentia, tunc producitur ab aliquo, quod transcendit omnem nostram ideam, & quod est super omne existens. Verùm qua ratione produci possit ipsa existentia, videbimus suo loco.

Dices 6. Si essentia habet aliquam existentiam particularem secum identificatam, tunc essentia secundum quid convenit cum alia essentia, & secundum quid disconvenit; ergo duo inter se diversa, nempe ratio conveniendi & disconveniendi, possunt inter se identificari. Resp. n. maj. essentia enim per suam existentiam particularem disconvenit ab omni alia essentia; quia præter nomen existentis æquivocum nil habet commune cum altera essentia.

Obj. 4. Concipiendo albedinem non clarè obversatur diversitas inter essentiam & existentiam, ergo non dantur diversæ ideæ. 2. Signum distinctæ ideæ est, si eam ad alteram addendo seu auferendo sentitur in conceptu diversitas; sed talis non sentitur, quando essentiæ albedinis volo addere vel auferre ideam existentiæ. 3. Potest dici, quod concipiendo aliquid, concipiam spatium aliquod indeterminatum; aut quod tunc nondum aliquod objectum habeam. Resp. ad 1. n. a. concipiendo enim albedinem clarè obversatur aliquis modus, per quem convenit cum alia re; & aliud, per quod disconvenit. ad 2. c. maj. n. min. vel d. non sentitur diversitas in idea essentiæ. c. in idea existentiæ. n. essentiam nunquam possum concipere sine

fine existentia, & ideo conceptus essentiæ manet semper idem; sed possum concipere existentiam sine essentia; & tunc statim sentitur in mente diversitas. ad 3. n. a. quia hoc est contra experientiam sentio enim me tendere in aliquid, quod tamen ignoro, quid sit. Quin etiamsi existentia in conceptu albedinis clarè se non discerneret ab essentia albedinis; per hoc ipsum tamen se discerneret ab omni alia idea; cum enim existentia sit res omninò indeterminatissima, nec ullum habeat determinativum, mirum non est, si ejus idea se non discernat ab aliis ideis eo modo, quo se aliæ ideæ ab invicem discernunt; sed per hoc ipsum se discernit ab omni alia idea, quod se non discernat eo modo, quo se discernunt aliæ ideæ.

Ob. 5. Omnis distinctio, quæ datur à parte rei, est realis, ergo non datur distinctio media virtualis, aut ex natura rei formalis. Pb. Ant. omnis distinctio, quæ datur à parte rei, datur inter rem & rem, ergo est realis. pb. a. quidquid non est nihil, est res; ergo omnis distinctio datur inter rem & rem.

2. De qualibet perfectione possunt formari duo diversi conceptus; ergo si diversitas conceptuum fundat distinctionem, distinctiones multiplicarentur in infinitum. pb. a. qualibet perfectio aut formalitas convenit cum alia perfectione in hoc, quod sit perfectio, & etiam disconvenit in alio, ergo.

3. Ea, quæ possunt de se invicem negari in recto, distinguuntur realiter; sed plures perfectiones ejusdem rei possunt de se invicem negari in recto, ergo. min. tales perfectiones habent diversas definitiones adæquatas, ergo possunt negari de se in recto. Resp. ad 1. n. a. ad pb. n. a. res enim vocatur, quæ habet existentiam propriam, aut separabiliter: illud verò, quod cum alio inseparabiliter habet eandem existentiam, vocatur virtualitas aut formalitas. ad 2. n. a. nulla enim perfectio convenit cum alia, nisi per existentiam, sine qua nunquam potest concipi, & per quam est perfectio. ad 3. c. maj. n. min. ad pb. t. a. n. C. nam diversitas definitionum non infert diversitatem existentiæ. Dein potest negari Ant. quia simplicia non possunt definiri.

Obj. 6. Etiamsi daretur una communis existentia ac realitas in multis perfectionibus, potest tamen dici, dari multa entia, ac multas res, ergo communis existentia non impedit distinctionem realem. pb. a. Etiamsi daretur una albedo dealbans plures muros, darentur tamen plura alba; ergo à pari, etsi detur una existentia, dantur tamen plura entia. 2. Tres personalitates in Deo sunt realiter distinctæ,

& tamen habent inseparabiliter eandem existentiam, ergo unitas existentiæ non tollit distinctionem realem. Resp. ad 1. n. a. ad pb. c. a. n. C. & paritatem. Disparitas est, quod muri independenter ab albedine habeant multiplicitatem; econtra verò formalitates independenter ab existentia nullam habeant multiplicitatem; ideoque ratione sui præcisè non possunt actualem numerum & diversitatem constituere. ad 2. c. a. d. C. non tollit distinctionem realem, quando intercedit oppositio relativa. c. secus. n. una personalitas generatur, ac procedit ab altera.

Obj. 7. Distinctio virtualis non datur inter amorem Dei & odium peccati in actu contritionis; ergo neque datur in alio casu. pb. Ant. non repugnat amorem Dei esse aversivum peccati; & odium peccati esse prosecutivum Dei, ergo. Resp. n. a. ad pb. d. a. non repugnat amorem esse aversivum per tendentiam à tendentia amoris distinctam. c. secus. n. cum enim hæ duæ tendentiæ experimentaliter sint diversæ, ac propterea diversas fundent ideas, necessariò inter se distinguuntur, licet in eodem actu conveniant.

Dices: Si tam diversæ formalitates distinctæ possunt convenire in eodem actu, tunc in eodem actu eadem propositio poterit per unam formalitatem negari, per aliam affirmari; per unam formalitatem poterit quis amare Deum, per aliam odisse. Sed &c. Resp. n. S. quia hic aliunde datur repugnantia; aut si aliunde non detur, sequetur, quod omninò in opposita sententia hæc contraria possint identificari.

Obj. 8. Si individuatio distingueretur à quavis essentia, tunc quævis essentia foret aliqua Natura Communis de se nec hæc, nec illa; sed talis nusquam datur. ergo. min. pb. non datur extra singularia, nec in singularibus, ergo. Resp. c. maj. n. min. ad pb. dico eam dari n singularibus eo modo; quo intelligitur; licet enim v. g. albedo hujus muri sit hæc albedo; manet tamen communis, quia per aliquid à se distinctum est hæc.

Dices: Si daretur talis natura communis, tunc non possem dicere mea caro, sed nostra caro. 2. Eadem natura humana cruciaretur in inferno, & glorificaretur in cœlo. Resp. ad 1. n. S. quia caro sit mea per individuationem. ad 2. n. suppositum, quod natura communis possit dici eadem; cùm enim secundum se nec habeat unitatem positivam, nec distinctionem, natura non potest dici eadem. Albedo est tantùm albedo, & nihil aliud; igitur non est eadem; sed tantum non distincta.

Dices 2. Natura Petri non potest vidi ab individuation Petri,

Petri, & poſtmodum conjungi cum alia individuatione v. g. Pauli; ergò natura Petri ſemel extra cauſas poſita eſt intrinſecè ſingularis, quia eſt intrinſecè reſpectiva hujus individuationis, ac incommunicabilis pluribus. Reſp. d. a. Natura Petri reduplicativè ſumpta non poteſt dividi. c. a. denominativè, n. a. & ſuppoſitum quod natura Petri denominativè ſumpta ſit potius natura Petri, quam Pauli. Illa enim natura, quæ eſt Petri, de ſe nec eſt Petri, nec Pauli, nec conjuncta cum natura Pauli, nec ab illa diviſa; eſt enim idipſum, quod concipitur; eſt natura humana, & nihil aliud.

Dices 3. Quidquid terminat actionem productivam, eſt aliquid determinatum; ſed natura v. g. Petri terminat actionem productivam, ergo. maj. patet, quia non producitur aliquid indeterminatum. Reſp. d. maj. quod producitur, eſt aliquid determinatum vel intrinſecè., vel extrinſecè. c. maj. ſemper intrinſecè. n. maj. ſufficit, quod cum natura communi comproducatur individuatio contrahens naturam communem.

Dices 4. Non eſt poſſibilis natura communis ſeparata, exiſtens extra ſingularia; ergo neque eſt poſſibilis intra ſingularia. Reſp. n. C. & parit. Diſparitas eſt, quia cauſa productiva naturæ neceſſario ordinat naturam ad aliquem determinatum finem; igitur omnis natura in ſui productione limitatur ad certas circumſtantias, actiones, aut paſſiones, & ſic eoipsò fit ſingularis.

Dices 5. Si daretur natura communis, tunc in Petro eſſet tota natura humana, & in Paulo &c. eſſet tota natura; ſed hoc eſt impoſſibile, ergo. min. pb. quia aliàs totum, ſeu tota collectio omnium naturarum, non eſſet majus ſua parte. Reſp. c. maj. n. min. ad pb. dico, naturam Petri, Pauli &c. denominativè ſumptam nec collectivè, nec diſtributivè ſumi poſſe; nec eſſe de ſe unam, nec multiplicem; nec totam, nec mediam; ſed eſſe naturam humanam, & nihil aliud. Hinc generaliter notandum: Naturæ ſecundum ſe, nullam convenire denominationem, actionem, aut paſſionem; quia hæc omnia tantùm conveniunt rei ſingulari.

Dices 6. Si datur natura communis, tunc natura v. g. Petri non producitur de novo, ſed hoc eſt falſum, ergo. pb. maj. natura humana non diſtincta à natura Petri jam præexiſtit in aliis hominibus, ergo. Reſp. d. maj. natura Petri denominativè ſumpta non producitur c. maj. reduplicativè ſumpta. n. maj. nam natura humana, quæ prius non habebat exiſtentiam ſub individuatione Petri, incipit exiſtere ſub individuatione Petri, & hoc eſt, produci naturam Petri. Hinc quando aliqua res dealbatur, non albedo fit, ſed album fit; quia non producitur eſſentia albedinis, ſed albedo incipit habere exiſtentiam in hoc ſubjecto.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit idea Existentiæ , Entis , Negationum , ac Privationum ?

CONclusio 1. Idea Existentiæ est, quæ obversatur menti, dum cogitamus de Nescio quo. pb. Concl. Existentia vocatur id, quo præcisè tollitur ratio nihili ; sed cùm cogitamus de aliquo nescio quo, obversatur aliquid, quo præcisè tollitur ratio nihili ; ergo tunc obversatur existentia.

Coroll. 1. Hinc Existentia potest describi, quod nec sit quid, nec quale, nec quantum, nec aliud eorum, quibus ens determinatur, sed horum omnium actus.

Coroll. 2. Idea Existentiæ est omnium clarissima per hoc, quod sit obscurissima ; & per hoc ipsum est distinctissima, quod sit confusissima ; & per hoc ipsum se discernit ab omni alia idea, quod se non discernat ab ulla re.

Conclusio 2. Nil potest concipi sine sua Existentia. pb. Concl. quandocunque aliquid menti obversatur ; immediatè nil obversatur nisi idea ; sed idea non obversatur sine sua existentia, ergo nil obversatur sine sua existentia. min. patet, quia idea non obversatur nisi ut existens ; ubicunque existat.

Confirm. In simplici apprehensione nil concipitur, nisi idea, abstrahendo, an sit in mente, vel extra mentem ; ergo nil potest concipi sine sua Existentia, abstrahendo tamen, an illa existentia sit in mente, vel extra mentem.

Conclusio 3. Existentia semper omni momento actu obversatur menti. pb. Concl. Semper obversatur menti aliquid indeterminatum, ergò existentia. Ant. pb. semper cogitamus, ergò. pb. a. semper experimentaliter aliter afficimur, quam lignum aut alia entia non cogitantia, ergo semper cogitamus ; quia sola cogitatione distinguimur à non cognoscitivis. Ant. pb. quivis se reflectens supra statum suum directum nunc sibi præsentem, diceret se alio modo affici, quàm entia non cogitantia, ergo.

Pb. 2. Status ille mentis, quo sentimus nos cogitare de nescio quo, est status reflexus supra statum directum ; Ergò datur talis status directus, quo quidem cogitamus de nescio quo, sed tamen reflexè non

non ſentimus nos cogitare de neſcio quo. Atqui ille ſtatus non eſt alius, niſi ſtatus inadvertentiæ, in quo ſemper ſumus, quando non cogitamus de re determinata.

Pb. 3. Status inadvertentiæ aut ſomni, quoad mentem non differt à ſtatu reflexo, niſi per defectum reflexionis; ergo etiamſi non ſentiamus nos cogitare, revera tamen cogitamus. Pb. ant. ſentimus nos à ſtatu expreſſo ac reflexo deferri ad ſtatum inadvertentiæ aut ſomni nulla alia ſenſibili mutatione intercedente, niſi quod ceſſet reflexio, aut cogitatio rei determinatæ; ergo nulla alia intercedit mutatio, ac proin manet cogitatio directa rei indeterminatæ. ant. patet in eo, qui ſucceſſivè gravatus ſomno incipit ſenſim delabi in ſtatum inadvertentiæ, qui quamvis ſentiat in ſe extingui ſucceſſivè cogitationem rei determinatæ, nunquam tamen ſentit extingui cogitationem rei indeterminatæ; ergo non extinguitur, quia hoc deberet ſentiri. Similiter etiam nemo ſentit ſimpliciter in ſe de novo poſt ſomnum incipere cogitationem, ſed tantum ſentit incipere cogitationem hujus vel illius rei.

Pb. 4. Cogitatio in mente ſimpliciter nec oritur unquam, nec occidit. ergo ſemper datur cogitatio rei indeterminatæ. Pb. ant. non datur conveniens cauſa creata productiva cogitationis, nec deſtructiva, ergo. pb. ant. non datur aliquid creatum ſimile cogitationi, ergo non datur cauſa productiva, quia juxta leges cauſarum ſemper præexiſtit aliquid ſimile effectui; nec etiam deſtruitur ob ceſſationem finis, quia cogitatio generalis eſt quaſi materia idearum particularium; materiam autem oportet manere ſemper præparatam.

Pb. 5. Convertendo oculos ac mentem ad diverſa ſucceſſive objecta ſentio mihi innaſci diverſas ideas; ſed non ſentio mihi innaſci novam ſemper tendentiam in iſtas ideas; ergo tendentia ſeu cogitatio ſemper eſt eadem, cui ſolum per modum ſtabilis materiæ uniuntur diverſæ ideæ.

Pb. 6. Primus actus cujusque rei eſt à natura ſtabiliter inditus, ſed cogitatio eſt primus actus mentis, ergo. min. pb. quia natura eſt ſemper expedita ad actum ſibi proprium, ergo nunquam eſt otioſa, niſi impediatur.

Pb. 7. Author mentis operatur omnia viâ ſimpliciſſimâ ac breviſſimâ, ergo præſumendum eſt, unica potius cogitatione generali ſtabiliter inhærente abſolvi omnes cogitationes particulares, quàm produci tam innumeras.

Concluſio 4. Ens in ſuo conceptu non dicit plus, quàm Exi-

ſtentia. pb. Concl, pronuntiata hac voce tantùm ſentio mihi obverſari aliquid indeterminatum ; ergo.

Coroll. Igitur talia nomina concreta præciſè in eo differunt à nominibus abſtractis, quod in loquendo poſſint applicari ad alia ſubſtantiva ; in conceptu enim idem important.

Concluſio 5. Exiſtentia convenit univocè omnibus, quibuscunque convenit, ſive ſint entia creata, ſive increata, ſive ſubſtantialia ſive accidentalia. Pb. Concl. illa idea exiſtentiæ, quam habemus, eſt unica, eaque ſine repugnantia poteſt attribui enti etiam increato, aut accidentali ; ergo illis convenit ; quia ideæ noſtræ tam accuratè repræſentant res, quantum non repugnat eas repræſentari. Ant. g. i. m. pb. quidquid eſt omni modo poſſibili indeterminatum, eſt tantum uno modo indeterminatum; ergo idea exiſtentiæ eſt unica.

Concluſio 6. Negatio eſt unius ab altero diſiunctio, id eſt, ſpecialis tendentia mentis, qua unum ab altero diſiungimus ; & ſicut hæc tendentia non eſt nihil, ita etiam diſiunctio realis, ſeu negatio non eſt nihil. pb. Concl. quando nego albedinem de ligno, ſentio nec ſolum lignum, nec ſolam albedinem, nec utrumque ſimul obverſari; ſed utraque ſub ſpeciali modo, qui vocatur diſiunctio, ergo.

Concluſio 7. Omnis negatio eſt aliquid poſitivum in alterutro extremorum, quæ negantur ab invicem. pb. Concl. illa unius ab altero diſiunctio, quæ obverſatur menti, non eſt nihil, & non repugnat exiſtere in alterutro extremorum, ergo eſt aliquid poſitivum.

Concluſio 8. Negatio nihil aliud eſt, quàm ordo cujusque rei ad ſuas partes intrinſecè excluſivus partium impertinentium. pb. Concl. In mente, dum concipitur negatio, datur talis ordo, ſeu ordinatio; ergo talis datur à parte rei.

Concluſio 9. Privatio eſt negatio formæ debitæ in ſubjecto apto. Hinc non differt quoad rem à negatione ; ſed tantum quoad rem negatam. Sic cæcitas eſt privatio potentiæ viſivæ in oculo, quia potentia viſiva debetur oculo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 3. Concl. Cogitatio eſt tantum aliquid accidentale, non eſſentiale menti, ergo abit & redit more aliorum accidentium. 2. ſi in dormiente daretur cogitatio generalis exiſtentiæ, tunc non poſſent dormientes ſæpe tam longo tempore dormire ſine ullis ſomniis ſeu cogitationibus particularibus, quia cogitatio generalis eſt ordinata

nata ad cognitiones particulares. 3. Mens non semper appetit actu dimmum bonum; etiamsi appetitus summi boni prærequiratur ad omnem volitionem particularem, ergo nec semper actu cogitat de existentia, licet ejus cognitio prærequiratur ad alias cognitiones particulares. 4. potest cogitatio semper produci à mente ut eminenter præcontinente hanc perfectionem; ergo non est necessitas hujus perennis cogitationis. Resp. ad 1. d. a. cogitatio particularis. c. generalis. n. est enim proprietas essentialis, ut ostensum est. ad. 2. n. S. quia cogitatio specifica ac particularis dependet ab organis internis corporeis; quæ etiam longo tempore possunt quiescere ad. 3. t. a. n. C. & par. disparitas est, quod plus requiratur ad appetitum summi boni, quam cognitionem existentiæ; nam ad hunc appetitum prærequiritur non solùm cognitio generalis existentiæ, sed etiam cognitioti particularis summi boni. Igitur hæc argumentatio est à minori ad majus, quæ non licet, ad. 4. d. a. posset produci secundum leges causarum extraordinarias. t. secundum leges causarum ordinarias, ac in natura usitatas n. a. non nego possibile esse, ut in casu extraordinario, quo non potest convenienter haberi causa univoca, effectus producatur à causa altioris ordinis; sed hoc aliquid extraordinarium est in natura, pro quo nunquam stat præsumptio.

Obj. 2. Cont. 4. Concl. quando concipio Ens, sentio menti aliquid obversari per modum concreti; quando verò concipio Existentiam, sentio menti aliquid obversari per modum formæ abstractæ; ergo non est eadem idea Entis & Existentiæ. 2. Vnum, verum, bonum, Res, aliquid, cum Ente convertuntur; & non convertuntur cum Existentia; ergo non est eadem idea Entis & Existentiæ. Resp. ad 1. d. maj. quando concipio Ens, sentio aliquid obversari per modum Termini concreti. c. min. per modum ideæ concretæ, n. min. nam solent cum rebus ipsa earum plerumque obversari animo nostro, & hoc maximè fit, quando res obscuræ sunt; tunc enim magis convertimur ad nomina rerum, quàm ad ipsas res; dico proin cum idea Entis simul obversari nomen entis, quod est terminus concretus, quia potest significare rem existentem, actu exprimit quidem solam existentiam, sed potentialiter significat etiam rem, quæ habet existentiam. ad 2. d. Vnum, verum, bonum non convertuntur cum Existentia quoad modum loquendi. c. quoad modum concipiendi. subd. secundum id, quod dicunt in obliquo. c. secundum id, quod dicunt in recto. n. U. num in suo conceptu nil aliud dicit, quam aliquid indeterminatum, id est existentiam in ordine ad individuationem; verum dicit aliquid in determina


minatum, id est, existentiam in ordine ad mentem intelligentem: bonum dicit aliquid indeterminatum, id est, Existentiam in ordine ad varias perfectiones rei; igitur Vnum, verum, bonum in recto dicunt Existentiam, ac proin in recto convertuntur cum Existentia, quoad modum concipiendi, licet non convertantur quoad modum loquendi; quia voces multa significant in potentia.

Obj. 3. Cont. 5. Concl. Ens non convenit univocè Deo, substantiæ, & accidenti, ergo nec Existentia. pb. Ant. conceptus formalis Entis non præscindit à suis differentiis, aut certè se tantum extendit ad creata, ergo. 2. Existentia Dei est essentialiter independens, subsistens, & realiter identificata cum essentia divina; Existentia autem creata non est talis, ergo non conveniunt univocè. 3. Deus est supra omne id, quod nominari & cognosci potest, ergo idea Existentiæ non assequimur Existentiam divinam. Ant. pb. non solum ex consensu Patrum, sed etiam ex ratione; quia Deo tribuimus, quidquid est optimum ac perfectissimum; si igitur aliquid melius & perfectius omni eo, quod cognoscimus, possibile est, id Deo tribuendum. Resp. ad 1. d. a. Ens, inquantum est terminus. t. a. inquantum est idea. n. a. quia Ens ut terminus forte potentius significat differentias, ac creaturas, quam in idea Entis exprimitur. ad 2. d. a. Existentia divina est essentialiter independens &c. continuativè, c. formaliter subd. qua talis. c. quæ est talis. n. a. observandum est, quod res eo modo sint, quo concipiuntur, & hinc, quia interdum nobis obversatur unum continuum v. g. in figura, aut quantitate sine ulla distinctione actuali partium, ideo possibile est tale continuum, ut suo loco probabitur. Jam verò tale continuum admitto possibile esse inter illas ipsas perfectiones, quæ per ideas nostras repræsentantur ut diversæ, & ex hac suppositione dico Existentiam divinam continuativè idem esse cum aliis perfectionibus divinis; sicut tamen unitas continuativa in continuo quantitatis non impedit, quin partem potentialem continui possim seorsim concipere; ita unitas continuativa divinæ Existentiæ cum aliis divinis perfectionibus non impedit, quin seorsim possit concipi, id est, formaliter; verum natura hujus unitatis continuativæ intelligetur melius è continuo creato quantitatis, & qualitatum explicando inferius. ad. 3. c. a. n. C. quia etiamsi Deus simpliciter sit incomprehensibilis, potest tamen cognosci secundum quid, id est, secundum unam vel alteram perfectionem, vel d. ergo non assequimur existentiam divinam continuativè sumptam, c. C. formaliter sumptam. n. C. sicut enim continuum divisibile est, ita etiam Existentia.

Obj. 4. Cont. 7. & 8. Concl. Negatio mundi ante creationem mundi non

non fuit aliquid positivum, ergo non omnis negatio est aliquid positivum in al terutro extremorum. pb. ant. Ante creationem mundi nihil extitit præter Deum, ergo nec extitit negatio. 2. non extiterunt extrema, in quibus negatio mundi ante ejus creationem potuisset subsistere, ergo nec extitit negatio. pb Ant. Extrema in ngationem mundi sunt: Mundus & ejus Existentia, quia in negatione mundi disjungitur Existentia à mundo; at neutrum extitit, ergo 3. Si negatio esset aliquid positivum, tunc in una eademque re deberent dari infinita entia, sed hoc est erroneum, ergo. maj. pb. de eadem re verificantur infinitæ negationes, nempe negationes infinitorum entium possibilium, ergo. 4. si negatio consisteret in ordine exclusivo omnium partium impertinentium, tunc talis ordo deberet esse relativus ad infinitas partes impertinentes possibiles; sed etiam hoc excedit limites creatos, ergo.]

Resp. ad 1. n. a. ad pb. c. a. d. C. ergo nec extitit creatio extra Deum. c. C. in Deo. n. C. ad 2. n. a. ad pb. d. maj. Extrema sunt mundus, & ejus existentia considerata in statu creato vel increato c. maj. tantum creato. n. maj. nam, ut sequenti quæstione dicetur, & prius jam fuit dictum; Existentia increata & creata conveniunt univocè, & solum differunt per diversos status, in quibus ponuntur; quando igitur dico: Mundus non habet existentiam; sensus est, mundus non habet existentiam increatam per participationem, seu modo limitato, ac proin in hoc casu alterum extremum est existentia increata, quæ utique extitit ab æterno. Ad 3. n. maj. ad pb. d. verificantur infinitæ quoad rectum. n. quoad obliquum. c. est enim negatio in recto nil aliud, nisi ordo rei ad suas partes unicus exclusivus partium impertinentium. ad 4. n. maj. quia hic ordo est exclusivus partium impertinentium sine relatione ad illas; quia immediatè est tantum exclusivus alterius ordinis; & hoc non ob relationem, sed ob distinctionem; sicut una idea est exclusiva alterius per seipsam: ita ordo rei ad suas partes est tantum hic ordo, & non alius ordo.

QUÆSTIO V.

Quænam ſit idea entis Intellectualis, & realis; Poſſibilis & actualis; creati, & increati; corporei & in corporei.

CONcluſio 1. Ens intellectuale non differt intrinſecè ab ente reali. pb. Concl. Omnis idea, quæ obverſatur menti, poteſt poni in alio ſtatu; in quo non obverſatur menti; ergo. pb. Ant. Omnis idea eſt de ſe natura communis indifferens ad quemlibet ſtatum ſive intellectualem, ſive realem, ergo. pb. Ant. idea per ſeipſam, dum obverſatur menti, non dicit ſtatum intellectualem, nec realem, ergo. pb. Ant. ignoramus, an idea, quæ obverſatur, ſit in mente, vel extra mentem; ergo intrinſecè non importat ullum ſtatum.

Corollarium. Igitur Mundus intellectualis intrinſecè non differt à mundo reali; quia quæcunque reperiuntur in mundo reali, eodem modo reperiuntur in mundo intellectuali; & viciſſim, & hinc ens reale cum veritate poteſt vocari conceptus objectivus; nam reverà Ens reale nihil aliud eſt, quam illa ipſa idea, quæ obverſatur menti; ſed tamen in alio ſtatu, & cum alia individuatione.

Concluſio 2. Ens reale tantùm differt per hoc ab ente intellectuali, quod ſit ſtabiliter fixum ac independens ab arbitrio mentis. pb. Concl. omnia entia intellectualia poſſunt pro arbitrio mentis diſſolvi, aut mutari, aut deſtrui; ergò quæcunque pro arbitrio mentis mutari non poſſunt; intellectualia non ſunt, ac proin fiunt fixa. Ant. patet in idea Domus, quam poſſum diſſolvere, quandocunque volo; Domus verò realis à me diſſolvi non poteſt pro mentis arbitrio.

Corollarium. Hinc patet, quàm contemptibilia ſint iſta bona terrena, cum in nullo intrinſecè differant ab intellectualibus, & ob limitationem ſuam extrinſecè ſint longè imperfectiora intellectualibus; patet proin, quam ſtulti ſint, qui felicitatem ſuam potius tanto labore quærunt in mundo reali, quam intellectuali; & denique patet, quam facilè contemni poſſint jactata toties ab amatoribus mundi bona, diu quæſita, labore improbo empta, & brevi relinquenda, cum Dominus idearum, quiſquis ille ſit, in cujus poteſtate eſt ideas fingere,

fingere, solo suæ voluntatis arbitrio in momento cultoribus suis integros mundos, & mille sensuum ac mentis illecebras sistere possit, hic solus versat mente, quæcunque vult, jubet, ut stabiliter sint; & sunt.

Conclusio 3. Ens Possibile, & Actuale non differunt intrinsecè. pb. Concl. Omne Ens possibile est Ens intellectuale, & omne Ens actuale est Ens reale; sed intellectuale & reale non differunt intrinsecè, ergo nec ens possibile, & actuale. pb. maj. g. i. m Omne ens possibile per seipsum, vel per imaginem sibi perfectissimè similem obversatur menti; ergo est ens intellectuale. C. patet, quia omne, quod obversatur menti, est idea, adeoque ens intellectuale. Ant. pb. Ens possibile in statu possibilitatis suæ potest æquè cognosci; ac cognoscitur ens actuale in statu actuali; ergo.

Conf. Sentimus entia possibilia nobis obversari per ideas easdem, per quas obversantur entia actualia; ergo, cùm omnis idea possit esse, & sit simillima imago sui objecti, ens possibile & actuale non differunt intrinsecè.

Conclusio 2. Ens Possibile tantùm differt per hoc ab Ente Actuali, quod illius existentia de se abstrahat à statu creato vel increato; Existentia autem entis actualis concomitanter dicat statum creatum. pb. Concl. Ens possibile tantum dicitur possibile relatè ad statum creatum; ad quem est in potentia; ergo per hoc ipsum differt ab actuali, quod abstrahat à statu creato. Ant. pb. Ens possibile increato. Non dicitur possibile relate ad omnem existentiam, nec est in potentia ad omnem existentiam, ergò. pb. Ant. Ens possibile non potest concipi sine omni existentia, ergo nec est sine omni existentia; quia omne ens tale est, quale concipitur.

Corollarium. Sequitur proin omne Ens possibile secundum sua prædicata intrinseca existere ab æterno, etiamsi non existat in statu creato; & quia potest poni in statu creato, ideò de se ac formaliter abstrahit à statu creato & increato, licet reipsa sit in statu increato; & quia nihil est increatum extra Deum, ideo intrinseca rerum possibilitas consistit in ideis divinis; quæ per participationem possunt poni in statu creato; quia nempe per modum naturæ communis cum rebus creatis univocè conveniunt.

Conclusio 5. Perfectio creata non differt intrinsecè à perfectione increata formaliter seu præcisive sumpta; id est, etiamsi perfectio increata continuativè identificetur cum aliis perfectionibus divinis, per hoc tamen non amittit suam essentiam, sed manet ejusdem naturæ,

ac si non identificaretur; sicut pars cubi, aut sectio conica manet ejusdem naturæ, sive continuative identificetur cum cubo aut cono, sive non identificetur; semperque convenit intrinsecè cùm alia sectione sibi simili. Pb. Concl. Omnis perfectio creata, eo modo. quo obversatur ment, necessariò existit, adeoque æternùm; non extra Deum, ergo in Deo. min. supponitur interim. maj. patet ex dictis; quia omnis idea eo modo, quo obversatur menti, est possibilis, adeoque necessario existit, ubicunque existat.

Pb. 2. perfectio increata cognoscitur, ergo idea creata, per quam cognoscitur, non differt ab illa intrinsecè. pb. C. omnis idea potest & debet esse simillima suo objecto.

Pb. 3. Perfectio creata intrinsece non dicit imperfectionem; ergo eoipso est in Deo, seu in cumulo omnium perfectionum. pb. Ant. perfectio creata intrinsece non dicit ullam dependentiam, aut limitationem, ergo. Ant. pb. quia in idea perfectionis creatæ talis dependentia aut limitatio non involvitur.

Conclusio 6. Ens Creatum tantum differt ab Increato per hoc quod hoc sit Illimitatum; illud limitatum, id est, Ens per hoc dicitur creatum, quod stabiliter ac fixe ponatur in serie entium particulari. Pb. Conc. Non datur necessario stabilis ac particularis series entium, ergo quid, quid est in tali serie, eoipso non est increatum. C. patet, quia omne increatum necessario existit. Ant. pb. omnis series entium per se est subjecta illimitate arbitrio illius mentis, in cujus potestate est ideas fingere; ergo non necessario datur series particularis stabilis.

Pb. 2. Ens, quod tantum habet ordinem stabilem ad seriem entium finitam, habet hunc ordinem ex determinatione alterius causæ; ergo jam est creatum. pb. Ant. quodlibet ens potest pro mentis arbitrio referri ad quamlibet seriem entium; ergo si habet stabilem ordinem ad determinatam seriem entium, hoc non habet ex seipso, sed ex alterius determinatione.

Conclusio 7. Ens corporeum & incorporeum intrinsece non differunt. pb. Concl. Idea Entis corporei non differt ab ente corporeo intrinsece, sed idea est ens incorporeum, ergo. maj. pb. idea illa est imago simillima entis corporei. ergo. Conf. non repugnat eandem naturam communem v. g. Existentiam poni in statu corporeo, & incorporeo; ergo etiam id non repugnat aliis perfectionibus.

Conclusio 8. Ens corporeum differt ab Ente incorporeo per hoc quod sit connexum cum extensione stabiliter ac independenter ab arbitrio mentis. v. g. si ponatur aliquis cubus in mente, & alius extra mentem; ille erit incorporeus; hic corporeus; nec erit alia differentia inte-

inter hos duos cubos, nisi quod ille possit dissolvi, dividi, augeri, ac mutari pro arbitrio mentis; hic verò sit independens ab arbitrio mentis, ac stabiliter in suo statu maneat, nisi mutetur à legibus naturæ, quibus solis subjectus est. pb. Concl. Hoc distinctivum inter Ens corporeum ac incorporeum sufficit, nec aliud obversatur clare ac distinctè menti, ergo nullum aliud datur.

Corollarium. Hinc patet, quod corpus possit fieri spirituale per hoc solum, quod incipiat dependere ab arbitrio mentis; sicut ideæ dependent, aut corpus ideale.

Corollarium 2. Patet etiam, quam nihil sint omnia entia corporea; cum in momento unico possint resolvi in nihilum, aut permutari pro libitu ab illo, qui est Dominus idearum, & qui potest tollere stabilem ordinem idearum, per quem sunt in statu corporeo. Et reverà quid sunt ista corpora, nisi stabilia somnia, seu stabilis idearum collectio? nisi quod somnia maneant in mente, & ideo stabilia non sint?

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. & 2. Concl. Non omnia entia realia sunt etiam ejusdem naturæ in intellectu, ergo entia realia & intellectualia non sunt ejusdem naturæ, pb. Ant. calor aut frigus non est formaliter in Deo; individuatio rei essentialiter immultiplicabilis non potest esse naturæ communis; actio creativa mundi etiam non potuit esse ab æterno in Deo; denique ipse ordo stabilis idearum non potest dari in intellectu, alioquin ens reale jam daretur in intellectu. ergo 2. aliqua entia realia citius transeunt, quam intellectualia, ergo non differunt stabilitate. 3. Ideæ sunt accidentia, entia realia sunt substantiæ, ergo differunt intrinsece.

Resp. ad 1. n. a. ad pb. Dico, calorem formaliter, id est, concretive & in eo statu, in quo nos afficit, non esse in Deo; & hinc, quia homines tantum attendunt ad calorem secundum illum statum, secundum quem nobis obversatur, ideo negandum est simpliciter, in Deo dari calorem; falsum est; Deus est calidus; quia omnis denominatio importat formam secundum illum statum, ad quem homines respiciunt, & qui illis est obvius, ut constat ex Arte Critica. Interim tamen calor est æque in Deo secundum totum suum esse, demptis imperfectionibus, seu dempta carentia perfectionum aliarum; & divisione perfectionum. Individuatio est tantum immultiplicabilis in statu reali, non autem relate ad alios status; quia idea individuationis aliam immultiplicabili-

bilitatem nisi realem non importat; individuatio realis est ordo rei ad certas circumstantias stabiliter; individuatio intellectualis est ordo rei ad easdem circumstantias transeunter, seu dependenter ab arbitrio mentis; Individuatio realis est quidem ordo stabilis, etiam in intellectu, sed non stabiliter. Actio creativa mundi ab æterno dabatur in Deo, sed non proæterno, ut suo loco videbimus. Ad 2. d. a. aliqua entia accessoria tantùm ad aliam rem c. a. principalia. n. a. vel subd. transeunt citius ob conditionem status. n. ob voluntatem conditoris c. a. ad. 3. c. a. n. C. quia ens accidentale & ens substantiale non differunt intrinsece.

Obj. 2. Possibilitas intrinsecæ rei consistit in mera non repugnantia prædicatorum inter se, Ergo Ens possibile non est necessariò aliquid positivum. Pb. C. non repugnantia prædicatorum potest concipi ac dari, etiamsi nil concipiatur aut detur positivum, ergo. 2. Mundus, inquantum possibiliter distinctus à Deo, fuit ante suam creationem possibilis, nec tamen fuit aliquid positivum, ergo. 3. Relatio creaturæ ad creatorem ab æterno fuit possibilis, nec tamen aliquid positivum; idem dicendum de actione creativa, inquantum est aliquid creatum. Resp. ad. 1. n. a. quid enim sunt ista prædicata? quid est repugnantia? si aliquid in mente sunt; jam eoipsò aliquid positivum sunt. ad 2. d. non fuit aliquid positivum in eo statu, in quo fuit possibilis, c. a. in alio statu. n. a. Ad 3. similiter d. non fuerunt aliquid positivum in statu reali, c. in intellectuali. n. a. nam quidquid est in creatura, est etiam in creatore; sed non eodem modo; nam actio creativa Deo immanens tribuit creaturæ divisionem à cumulo perfectionum, & per hoc eidem tribuit stabilitatem independentem ab arbitrio mentis.

Dices: Creatura nunquam fit independens à Deo, aut ab arbitrio mentis divinæ; ergo ens actuale differt ab ente possibili non solum per independentiam, sed per aliud positivum. Resp. ad 1. d. non fit independens omni independentia. c. a. aliqua, n. vel subd. non fit independens independenter ab arbitrio mentis divinæ. c. dependenter. n. Deus enim sibiipsi imponit hanc necessitatem consequentem, ut non velit in mundo operari ordinarie, nisi secundum ordinem naturæ à se præfixum.

Dices: 2. Si ens possibile foret aliquid positivum, tunc non esset simpliciter ens tantum possibile; sed solummodo secundum quid, nempe solummodo relatè ad statum realem; sed hoc non potest dici, ergo. p b. min. Petrus non potuit dici Ens possibile, etiamsi fuerit possibilis relate ad aliquem

quem ſtatum v. g. pœnitentiæ. Reſp. n. maj. quia denominatio ſimpliciter deſumitur à ratione denominandi, ad quam homines plerumque reſpiciunt; cum igitur loquendo de poſſibilitate vel exiſtentia rei, homines plerumque reſpiciant ad ſtatum realem, ideò relatè ad hunc ſtatum dicitur res ſimpliciter poſſibilis. Ideò Petrus non dicitur ſimpliciter ens poſſibile, quia homines, loquendo de poſſibilitate Petri, non reſpiciunt ad ſtatum pœnitentiæ, ſed ad ſtatum realem; ſibi magis obvium.

Dices 3. Si non datur aliquid poſitivum diſtinguens mundum realem à mundo increato ideali; tunc difficile erit explicare diſtinctionem inter naturam, & Deum; ſed hoc eſt favere Atheiſmo Spinolæ, & Sinenſium, ergo.

Conf. Sententia aſſerens mundum conditum è perfectionibus increatis ſimplicibus, videntur accedere ad illorum errores, qui dicunt mundum conditum ex combinatione monadum, aut atomorum; aut creaturas eſſe particulas Dei. Reſp. ad 1. n. a. contrarium patebit ſuo loco; quia ſola diviſio à cumulo perfectionum eſt vera diſtinctio. ad Conf. n. a. quia nos non admittimus monades, aut atomos: hæ enim ſunt aliquid increatum, finitum, & extra Deum; perfectiones autem noſtræ ſimplices ſunt illimitatæ in Deo; non pars mundi ſecundum illum ſtatum individualem, ſecundum quem ſunt ab æterno; ſed tantum univocæ cum partibus mundi; mundus ex his perfectionibus increatis non componitur tanquam ex partibus actualibus; ſed tanquam è genere: Deus communicando has perfectiones creaturis nil amittit; ſed retinet id, quod dat; quia Deus nil aliud facit, niſi ut perfectio ſua increata, quæ habet individuationem increatam, habeat etiam individuationem creatam; & hoc fit limitando hanc perfectionem per diviſionem à cumulo perfectionum.

Obj. 3. Cont. 5. & 6. Concl. Ideæ, quæ nobis obverſantur, non videntur eſſe entia perfectiſſima, & infinitæ perfectionis; ergo non eodem modo ſimillimo ſunt in Deo. 2. interdum aliqua idea, manens eadem, intenditur notabiliter in ſua perfectione, v. g. calor, aut lux, ergò omnes perfectiones poſſunt intendi ad gradum perfectionis nobis incognitum, & ſecundum talem gradum perfectiſſimum exiſtere in Deo; & per conſequens perfectio creata non convenit univocè ac modo ſimillimo cum increata, ſed tantum analogicè ac per proportionem. 3. ſi perfectiones creatæ univoce ac formaliter eſſent in Deo, eſſet etiam in Deo verus dolor, vera ac formalis triſtitia, pœnitentia &c. ſed hæc ſunt ſuſpecta de errore, ac temeraria. 4. Non repugnat noſtræ Philoſophiæ principiis, ſi dicatur, perfectiones divinas convenire ſolùm analogicè; ac creatas in Deo ſolùm con-

contineri virtualiter; ergò cum communiore, & securiore ad commendandum Deum opportuniore opinione loquendum. 5 si creatum tantum differret ab increato, sicut limitatum ab illimitato, tunc quævis creatura posset considerari tanquam parvus Deus, aut pars Dei; & in quavis creatura posset Deus saltem inadæquate intuitive videri, sed hæc male sonant. 6. Creatio non est nuda perfectionum præexistentium limitatio, sed totius rei tam è nihilo sui, quam nihilo subjecti productio; ergo creatum differt ab increato per totam suam entitatem noviter productam.

Resp. ad 1. d. Ideæ divisivè sumptæ non sunt entia perfectissima. c. a. continuative sumptæ, n. a. nam hæ ipsæ ideæ, quæ nobis obversantur ut divisæ à cumulo perfectionum, non sunt divisæ in Deo; sed continuative coadunantur. ad 2. c. a. &. 1. C. n. 2. C. licet enim omnes perfectiones in Deo continuative idem sint cum gradu intensive perfectissimo nobis incognito, per hoc tamen non sequitur, quod divina perfectio secundum unam formalitatem ac gradum entitatis suæ non conveniat univoce cum creata; sicut cubus secundum unam partem potentialem suæ entitatis convenit univoce cum sectione cubica separata. ad 3. d. dolor, tristitia, pœnitentia &c. vere essent in Deo per modum entis intentionalis naturæ suæ disconvenientis. c. a. secus n. a. seu essent in Deo per modum objecti. c. a. per modum passionis. n. a. qualis sit ista diversitas, propria quisque novit experientia; sentimus enim nos minime infelices reddi per hoc, quod dolor, tristitia &c. ponantur in statu idealis; quin tristia objecta, v. g. in tragœdiis, excitant cum commiseratione voluptatem. Ad 4. c. a. n. C. licet enim ob modum divinarum perfectionum nobis incognitum possit dici, creata in divinis solum contineri virtualiter, sicut sectio cubica in cubo potest dici contineri virtualiter; nolui tamen adhibere hanc locutionem utut accuratiorem, ne mens statim in limine a consideratione Dei absterreatur ob immanem divinarum perfectionum cum suis ideis dissimilitudinem, quæ in convenientia Analogica importari videtur. Igitur, quidquid in creatis non involvit imperfectionem, tribuamus Deo, & dicamus perfectiones creatas existere in Deo non tantum modo perfectissimo nobis incognito, sed etiam eo modo, quo præcisè non sunt imperfectæ, nobis cognito. Ad 5. n. S. quia quamdiu consideratio nostra hæret in creatura, hæret in ente imperfecto, quod repugnat esse Deum; quamdiu verò consideratio nostra occasione creaturarum defertur ad considerandas perfectiones creatas abstractive; tunc nec habet pro objecto aliquid creatum, nec increatum ac divinum; quia perfectiones secundum se abstrahunt à statu creato vel increato. Igitur in nullo casu creaturam pro parvo Deo habere possumus. Dein intuitive videre Deum, non est unam vel alteram perfectionem illius cognoscere per ideam ac speciem pro-

propriam; ficut nemo dicitur intuitive videre Turcarum Imperatorem, etiamfi Imperatoris exiftentiam,& humanā naturam in Petro modo prorfusfimillimo cognofcat: hæc locutio vifionis intuitivæ folùm ex acceptatione hominum adhibetur, quando cognitio non folùm fit per ideam ac fpeciem propriam rei; fed infuper requiritur, ut illa cognitio fit illimitatior, & totius rei fecundum partes illius præcipuas. ad 6. d. Creatio eft rei è nihilo fui & fubjecti creato productio. c. a. è nihilo fui etiam increato. n. a. non enim datur alia clara idea creationis, nifi hæc, quod fit perfectionis de fe indefinitæ à ftatu increato ad ftatum creatum translatio, ut fuo loco videbimus.

Obj. 4. Conr. 7. & 8. Concl. Non poteft dari lignum incorporeum, aut equus incorporeus, ergo corporeum & incorporeum differunt intrinfece. 2. Etiamfi ex decreto Dei contra mentis arbitrium mihi ftabiliter obverfaretur cubus, non tamen proptèrea cubus ille fieret corporeus; ergo etiamfi res acquirat ftatum fixum independentem ab arbitrio mentis, per hoc non fit corporea. 3. fi corporea & incorporea non differunt intrinfece, tunc fpiritus & corpora à fe mutuo patiuntur, fed hoc eft erroneum. 4. corpora intrinfece exigunt impenetrabilitatem, proprietates fenfibiles, funt compofita ex materia, & hinc funt corruptibilia &c. ergo intrinfece differunt ab incorporeis. Refp. ad 1. c. a. n. C. quia nomen ligni aut equi tantum tribuitur rei corporeæ, quatenus eft corporea, nempe fecundum ftatum hominibus obvium; etiamfi exacta idea equi aut ligni minime à ligno aut equo differat, nifi per hoc, quod dependeat à mentis arbitrio. ad 2. d. cubus non fieret corporeus, fi tantum ad aliquod tempus fiat independens à mentis arbitrio. c. fi ex ftabili ordine perpetuo. n. a. ad 3. d. patiuntur à fe mutuo, fi aliunde habeant per leges naturæ aliquam inter fe communicationem. c. fecus. n. cur enim repugnet fpiritum à rebus corporeis pati? quin anima hominis actu patitur à corpore. ad 4. d. corpora qua talia intrinfece exigunt impenetrabilitatem. c. quæ funt talia. n. nam, ut videbimus, corpus folum ideo eft impenetrabile; quia ob leges naturæ ftabiliter obtinet diverfum locum; licet de fe poffet habere eundem locum ficut ideæ.

QUÆSTIO VI.

Quænam sit idea Substantiæ & Accidentis ?

COnclusio 1. Substantia est, cui competit Existentia propria; id est, omne ens, cui ab authore naturæ attribuitur nova ac peculiaris existentia, est substantia, aut substantiale seu pars substantiæ.

Pb. Concl. Ens, cui competit existentia propria, participat definitionem, & proprietates substantiæ, ergo est substantia. Pb. Ant. Ens, cui competit propria existentia, est ens subsistens per se, & principium omnium affectionum accidentalium, ergo.

Pb. Ant. Ens, cui competit existentia propria, habet omnia requisita ad existendum per seipsum, & potest suam existentiam communicare suis accidentibus, ergo. Ant. Pb. quidquid habet existentiam propriam, non accipit suam existentiam ab alio; ergo sibiipsi sufficit ad existendum.

Pb. 2. quidquid dependet ab alio in existendo, habere potest existentiam alienam; ergo quidquid habet existentiam propriam, non dependet ab alio, sed est ens per se.

Pb. 3. Existentia propria non tribuitur, nisi enti jam per seipsum sufficienti ad existendum, ergo. pb. Ant. Causa intellectiva productiva non tribuit existentiam composito, nisi jam habenti suum finem in natura, sed tale compositum jam est per seipsum sufficiens ad existendum, ergo. Conf. Existentia est actus ultimus rei; ergo est ultima ac formalis sufficientia ad existendum. Ant. pb. habita semel existentia non potest de novo accedere constitutivum rei; ergo existentia præsupponit alia prædicata in mente Creatoris.

Conclusio. 2. Accidens est, cui competit existentia aliena. pb. Concl. Omne accidens potest existere per existentiam sui subjecti; ergo illi tantum competit existentia aliena. pb. ant. existentia subjecti est de se illimitata, ergo etiam accidens poterit per illam existere.

Conclusio 3. Substantia & Accidens non semper differunt intrinsece. pb. Concl. dantur perfectiones, quibus aliquando competit existentia propria; aliquando aliena; ergo non differunt intrinsece. In antecedenti non apparet repugnantia; cur enim id, quod in certis circumstantiis alteri enti est accessorium, non possit mutatis circumstantiis fieri principale? sic v. g. calor, qui ligno est accessorius & accidentalis, quando incipit prædominari, fit ignis habens propriam existentiam. Corol-

Corollarium. Hinc ſubſtantia per hoc eſt principium, cauſa, ac radix omnium affectionum accidentalium, quod illis communicet ſuam exiſtentiam.

Concluſio 4. Materia prima ſubſtantiæ corporeæ eſt Extenſio indefinita. pb. Concl. Extenſio indefinita eſt ultimum & generale conſtitutivum omnium corporum, ergo eſt materia prima. pb. Ant. Extenſio indefinita poteſt eſſe tale conſtitutivum, nec occurrit clara idea alterius conſtitutivi, ergo.

Pb. 2. Id, in quod omnia corpora reſolvuntur, & quod eſt omnium transmutationum commune ſubjectum, eſt materia prima; ſed hoc eſt Extenſio indefinita, ergo. min. pb. deſtructis omnibus proprietatibus corporum ſemper remanet aliqua extenſio, quæ per transmutationem novis proprietatibus veſtitur; ergo.

Concluſio 5. Forma ſubſtantialis cujusque rei eſt prima illius affectio ſenſibilis. pb. Concl. Forma ſubſtantialis vocatur illa forma, per quam res conſtituitur in ſuo eſſe ſubſtantiali; ſed talis eſt primaria affectio ſenſibilis, ergo. min. pb. primaria affectio ſenſibilis poteſt eſſe talis forma, nec occurrit clara idea alterius formæ, ergo. pb. Ant. q. 1. m. affectio ſenſibilis addita Extenſioni indefinitæ meretur propriam Exiſtentiam, ergo poteſt eſſe conſtitutivum rei in ſuo eſſe ſpecifico ſubſtantiali.

Pb. 2. Extenſio indefinita ſe ſolâ nondum habet eſſe ſpecificum; ergo forma ſubſtantialis non eſt extenſio, ſed alia perfectio ſenſibilis. pb. Ant. ſola Extenſio indefinita nec eſt lignum, nec lapis, nec magnum, nec parvum, nec calidum, nec frigidum, ergo.

Pb. 3. Forma ſubſtantialis eſt, quæ dat eſſe, ſeu ratione cujus compoſitum primò accipit exiſtentiam propriam; ſed talis eſt affectio ſenſibilis, ergo. min. pb. affectio ſenſibilis eſt cauſa, quod compoſitum habeat finem in natura; ergo eſt ratio tribuendi compoſito propriam exiſtentiam. Ant. pb. habita primaria affectione ſenſibili res habet actionem, relationem, ac gradum in entibus; hac verò non habita, res nondum habet actionem, relationem, ac gradum in entibus; ergo eſt cauſa, quod compoſitum habeat finem in natura. Ant. q. 2. m. pb. non conſtat ulla experientia, aut ratione dari rem ſine affectione ſenſibili, aut eam ſine tali affectione habere actionem aut relationem in entibus.

Corollarium. Hinc materia prima & forma ſubſtantialis habent unam eandemque exiſtentiam; ita tamen ut forma ſit cauſa exiſtentiæ; adeoque materia exiſtat per exiſtentiam formæ.

Conclusio 6. In rebus non sensitivis forma substantialis est quantitas intrinseca partium. pb. Concl. Quantitas intrinseca est prima affectionum sensibilium, præsupponitur ad omnes alias affectiones sensibiles, est earundem causa, & remanet sola sublatis omnibus aliis affectionibus, ergo est sufficiens ratio tribuendi composito existentiam propriam. pb. Ant. quantitas intrinseca est affectio universalis omnium rerum, ergo diversitas omnium affectionum particularium commodè dependere potest à diversitate hujus causæ universalis; ergo est causa universalis; quia author naturæ in coordinatione causarum & effectuum sequitur aptitudinem earundem.

Conf. Non potest excogitari Systema simplicius, & sapientiæ Conditoris convenientius, quàm si dicatur; Extensionem indefinitam determinari per quantitatem finitam; hanc quantitatem in diversis partibus tam quoad figuram, quàm magnitudinem esse diversissimam; & secundum hanc quantitatis diversitatem rebus imprimi diversas reliquas affectiones sensibiles; ergo hoc systema reliquis præferendum est.

Corollarium. Adeoque in rebus corporeis non est necesse, admittere aliquod constitutivum substantiæ prorsus ignotum, cujus nulla datur idea.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. & 2. Concl. Materia prima non habet propriam existentiam, & tamen est substantia, ergo substantia non rectè vocatur id, cui competit propria existentia. 2. Accidens habet propriam existentiam, & tamen non est substantia, ergo. pb. Ant. accidens terminat actionem productivam diversam ab actione productiva subjecti; & ejus existentia est separabilis ab existentia subjecti, ergo habet propriam existentiam. Resp. ad 1. d. Materia prima non habet propriam existentiam relatè ad formam, c. relate ad compositum. n. a. sicut enim aliquando dominium bonorum competit integræ communitati, quin competat in particulari singulis membris communitatis; ita existentia competit toti composito, tanquam bonum proprium; ideo compositum est maximè substantia; quia verò existentia non tribuitur composito, nisi loco fundamenti habenti materiam; ideo etiam materia inadæquatè est substantia; & quia forma est ratio, ob quam composito tribuitur existentia, ideo forma magis seu majori jure vocatur substantia. ad 2. n. a. ad pb. d. terminat diversam

versam actionem productivam quoad suum esse. n. a. quoad suum tale esse. c. a. similiter existentia accidentis concretivè sumpta est separabilis ab existentia subjecti. c. denominativè sumpta. n. a. Sciendum enim est, quod v. g. in productione albedinis propriè non fiat albedo, sed album; id est, albedo incipit acquirere existentiam in hoc vel illo subjecto; non quod ipsa albedo acquirat peculiarem existentiam; neque enim in mutatione accidentali producitur *Esse* rei; sed *tale Esse*; id est, subjectum fit album communicando suam existentiam albedini.

Dices: Existentia non transit de subjecto in subjectum; nec etiam est separabilis à suo subjecto; Ergo existentia substantiæ non potest transire in accidentia, nec potest remanere existentia accidentium, destructis iisdem accidentibus. Resp. n. a. nam existentia non est alterius deterioris conditionis, quàm alia forma, v. g. anima humana, quæ potest uniri diversis successivè partibus corporis noviter adgeneratis; eas vivificando: & si aliqua pars corporis abscindatur, per hoc non perit anima; perit quidem pars viva, sed non perit vita; perit vita resectæ partis concretive sumpta; sed non denominativè sumpta; quia vita partium anima est; sic destructis accidentibus perit existentia accidentium qua talis; sed non quæ talis. Saltem in hoc non datur repugnantia, quod res de se indefinita ac illimitata successivè informet diversa subjecta.

Dices 2. Existentia subjecti jam est limitata ac individualis; ergo nequit extendi ulterius ultra suum subjectum. Resp. d. est limitata in subjecto, c. ad subjectum. n. a. sic enim etiam anima est limitata in partibus, quas actu vivificat; sed non est limitata tantum ad has partes. Etiamsi enim forma aliqua de se illimitata limitetur ad certas circumstantias individuantes, manet tamen adhuc illimitata relatè ad alias circumstantias, non individuantes.

Obj. 2. Cont. 3. Concl. Equus non potest fieri accidens; & albedo nunquam potest fieri substantia; ergo substantia & accidens differunt intrinsecè. 2. Relationes & Modi v. g. figura essentialiter semper sunt affixæ alteri subjecto; ergo intrinsecè sunt entia accidentalia. 3. Non constat ab experientia, accidens aliquando à statu accidentali transiisse ad statum substantialem. 4. Forma omnium rerum corporearum est quantitas dimensiva partium; ergo nequit aliud accidens induere rationem formæ substantialis. Resp. ad 1. n. a. nam equus in statu ideali est verum accidens mentis intelligentis. Nec repugnat ens reale, cui natura equina sit accidentalis; sic dantur

pisces, qui mutantur in aves; dantur vermes, qui mutantur in muscas, aut alia insecta, in his animantibus eadem anima induit diversas naturas; igitur potest etiam dari anima, quæ possit induere naturam equinam. Aut si hæc responsio non placet, dic, naturam equinam in hoc mundo habere peculiarem finem, & ideò semper mereri propriam existentiam. Dein Conclusio tantum debet intelligi de aliquibus entibus, non de omnibus. ad 2. n. a. Relationes enim subsistunt in Deo; figura partium in creatis est forma substantialis; licet forte exigat inhærere alicui Extensioni indefinitæ, seu materiæ primæ. ad 3. n. a. quia aliquando eadem figura, quæ toti composito est accidentalis, partibus est essentialis: sed hic nondum nitimur experientiâ, sed ratione. ad 4. c. a. n. C. quia non repugnat aliam formam cum quantitate dimensiva constituere formam unam substantialem adæquatam, quando id ratio exigit. Utrum verò ratio id aliquando exigat, videbimus suo loco.

Dices: Ex hoc sequeretur, posse dari plures formas substantiales in eodem composito; sed hoc est impossibile, quia tantum unica forma est ultima ratio, tribuendi existentiam composito. Resp. n. maj. quia in tali casu plures formæ constituunt unam formam adæquatam; nam omnes simul sumptæ sunt ratio adæquata tribuendi composito existentiam.

Obj. 3. Cont. 4. Concl. Materia prima nec est quid, nec quale, nec quantum, nec aliud eorum, quibus ens determinatur; ergo Extensio indefinita non est materia prima. pb. Ant. Materia omnium rerum particularium non est aliqua res particularis, ergo nec est quid. &c. 2. Extensio est accidens, ergo non est primum subjectum seu materia prima. pb. Ant. omnis extensio est alicujus rei extensio; sicut albedo est alicujus albi albedo, ergo est accidens. 3. Materia rerum omnium est incorruptibilis; Extensio est corruptibilis, ergo non sunt idem. pb. Ant. quando lignum ab igne consumitur, perit etiam extensio ligni, ergo. 4. Extra cœlum in spatiis imaginariis datur Extensio, & tamen non datur materia. 5. Si in hoc hypocausto destrueretur à Deo omnis aer; daretur vacuum sine omni materia, & tamen remaneret prior hypocausti extensio. 6. In Evcharistia remanet Extensio panis, & tamen non remanet materia ac substantia panis. 7. In Evcharistia corpus Christi habet materiam, & tamen non habet extensionem. 8. Spiritus habent aliquam extensionem, & tamen non habent materiam.


Resp.

Resp. ad 1. d. materia prima non est quantum quantitate determinata. c. indeterminata. n. a. extensio indefinita nondum est res particularis, sicut tabula rasa nondum est aliqua imago. ad 2. n. a. ad pb. n. a. quando enim concipio extensionem indefinitam, non concipio alicujus rei extensionem. Dein si ipsa extensio indiget alio subjecto, illud subjectum iterum indigebit alio subjecto, & sic in infinitum. ad 3. d. Extensio determinata est corruptibilis, t. interminata. n. namlignum per ignem mutatur in aliam rem extensam, & sic semper manent dimensiones interminatæ. ad 4. n. a. Extensio enim, ut patet ex ejus idea, non est nihil; igitur si extra cœlos nihil est, ibi extensio non est. ad 5. n. a. quia si nihil remanet, nec extensio remanet. At forte tale vacuum impossibile est, quia concipi non potest; spatium enim semper concipitur in intermedio, quod utique non est nihil, quia per propriam sui ideam obversatur menti. ad 6. d. remanet extensio panis extrinseca. c. a. intrinseca. n. ut enim videbimus de quantitate, datur aliqua figura ac extensio accidentalis totius compositi resultans ex combinatione singularum partium, & hæc extensio panis remanet. ad 7. n. a. ut enim patebit ex sequenti quæstione, Christus habet eandem extensionem intrinsecam sub hostia, quam habuit in terris; etiamsi exterior accidentalis quantitas minor sit. ad 8. n. a. aut d. habent extensionem accidentalem. t. substantialem. n. licet enim Spiritus interdum pro mentis arbitrio possint sibi unire aliquam extensionem; eorum tamen existentia nunquam dependet ab hac extensione; sed alligatur aliis perfectionibus; & hinc eadem perfectio, nempe extensio, quæ est materia corporum, est accidens spirituum.

Obj. 4. Cont. 5. & 6. Concl. Forma substantialis est principium, ac radix omnium accidentium; sed hoc est aliqua perfectio insensibilis, ergo. pb. min. omnis perfectio sensibilis est aliquod accidens, quod absolutè potest abesse, ergo. 2. In omni composito datur stabilis collectio accidentium & proprietatum sensibilium; ergo datur causa hujus collectionis; non sensibilis, ergo insensibilis. illatum pb. de omni perfectione sensibili, v. g. etiam de ipsa quantitate dimensiva partium potest quæri, cur in hoc composito stabiliter talis sit; Ergo causa totius collectionis est causa insensibilis. 3. Quantitas non est causa proportionata reliquorum accidentium, ergo datur in composito alia vis ac forma per seipsam exigens ac producens accidentia sibi proportionata. Resp. ad 1. n. min. ad pb. n. a. sublata enim quantitate intrinseca partium, tollitur res. ad 2. n. illatum. ad pb.

pb. n. a. ideò enim talis quantitas ſtabiliter reperitur in hoc compoſito, quia cauſa productiva illam univit cum materia; igitur unio quantitatis cum materia eſt cauſa intrinſeca, cur ſtabiliter quantitas talis ſit in hoc compoſito: alioquin poſſet de ipſa forma inſenſibili adverſariorum quæri; cur ſtabiliter ſit in hac materia? ad 3. d. quantitas non eſt cauſa proportionata vi ac cauſalitate ſecum identificata. c. diſtincta. n. a. ut enim videbimus de idea cauſæ; nulla perfectio eſt cauſa alterius perfectionis, niſi per quendam ordinem perfectionum inter ſe, & hic ordo eſt ipſa rerum cauſalitas connectens plures perfectiones inter ſe in eodem compoſito ſub eadem exiſtentiâ.

Dices: Nil obſtat, quin hic ordo connectens varias perfectiones cum extenſione indefinita ſit ipſa forma ſubſtantialis, ergo eſt. pb. Ant. hic ordo eſt vis, virtus, ac Entelechia totius compoſiti; eſt formalis cauſa omnium proprietatum & accidentium, & eſt ratio ſufficiens tribuendi compoſito propriam exiſtentiam, ergo. Conf. ſæpe idem compoſitum mutato toto ſtatu ſenſibili redit denuò ad eundem ſtatum ſenſibilem, ergo datur principium inſenſibile, ſeu ordo rei ad ſuum ſtatum ſenſibilem. Reſp. ad 1. n. a. quia ordo eſt eſſentialiter ens ut quo; adeoque non eſt terminus ut quod actionis productivæ, nec conſtitutivum rei ut quod. ad 2. c. a. & C. n. illud principium ſeu ordinem, eſſe formam rei, ob rationem aſſignatam. In tali vero caſu mutatur quidem forma ſubſtantialis aliquantulum, ſed quia ordo extenſionis manet idem, ideo talis mutatio non tollit eſſentiam compoſiti; quia individuatio compoſiti magis dependet ab illo ordine, quam à forma ſubſtantiali. vel. d. interdum mutatur ſtatus ſenſibilis compoſiti. c. partium. n. quia non oſtenditur partes in tali mutatione amittere omnem quantitatem dimenſivam, niſi ſimul dicatur deſtrui prius compoſitum. Cæterùm ſiquis hunc ordinem ac vim Extenſionis indefinitæ ad perfectiones ſenſibiles vocare vellet formam ſubſtantialem, quoad rem non diſſentirem.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Quænam sit idea Quantitatis ?

CОnclusio 1. Figura distinguitur realiter à materia prima seu Extensione indefinita. pb. Concl. Extensio indefinita potest restringi; non per extensionem indefinitam, neque per nihil; ergo per aliquid ab omni extensione distinctum, quod voco figuram. maj. patet, quia extensio indefinita est ubique tota, adeoque potest comprehendi quibuscunque terminis. min. quoad 2. & 3. m. patet, quia si per nihil restringitur extensio, manet indefinita; per seipsam autem restringi non potest. Igitur pb. q. 1. m. Non datur extensio finita, nisi secundum se sit indefinita; ergo per hanc non restringitur extensio indefinita; quia alias rediret quæstio, per quidnam restringatur extensio indefinita extensionis finitæ. Ant. pb. extensio indefinita est ubique tota; quin omnis extensio finita, sublatâ figurâ, manet indefinita, ergo omnis extensio est secundum se indefinita.

Pb. 2. Figura nec est formaliter eadem cum extensione, nec continuativè, ergo realiter distinguitur. Ant. quoad 1. m. patet, quia idea extensionis indefinitæ non includit ideam figuræ. quoad 2. m. pb. ubi incipit figura, ibi non datur extensio, ergo figura non est continuativè eadem. pb. Ant. figura ibi incipit, ubi desinit; sed ubi desinit, ibi non datur extensio, ergo.

Conf. Quæcunque continuativè sunt eadem eodem modo obversantur divisim, quò obversantur conjunctim; sed extensio indefinita & figura non obversantur eodem modo divisim, quo obversantur conjunctim, ergo, min. pb. figura destruit rationem extensionis indefinitæ, ergo conjunctim non eodem modo obversantur.

Pb. 3. Figura tollit ideam extensionis, ergo non est idem cum extensione. pb. Ant. Extensio est suiipsius in ulterius tensio, sed hanc tollit figura, ergo.

Pb. 4. Datur aliquis casus, in quo sentimus nobis obversari figuras, quin sentiamus obversari extensionem, ergo reverà sunt aliquid distinctum. pb. Ant. quando figuræ comparantur inter se secundum proportiones mathematicas; aut quando figura comparatur secum ipsa; sentimus nos in recto tendere tantum in figuras, ergo.

G Pb. 5.

Pb. 5. Aliqua cognitio aut perfectio realis tantum terminatur ad figuras, & non terminatur ad extensionem, ergo figura est aliud ab extensione. pb. Ant. proportiones mathematicæ. v. g. peripheriæ circuli ad diametrum tantum versantur circa figuram, non respiciendo ad aream circuli, ergo.

Pb. 6. Figura secundum se non est potius terminus corporis contenti, quàm continentis; ergo si secundum se non potest esse idem cum utroque corpore, cum neutro idem erit. pb. Ant. non habemus ullum signum figuram potius referendi ad corpus contentum, nisi quia stabiliter illud sequitur; ergo primo aspectu, quo nondum sciremus, an figura ex legibus naturæ potius sequatur contentum an continens, figura non potest potius nominari terminus corporis contenti, quám continentis.

Pb. 7. Divisio spatii indefiniti permanens neque est nihil, neque est pars membrorum dividentium; ergo est in se aliquid unum distinctum à membris dividentibus, & hoc voco figuram. Ant. quoad 1. m. patet, quia datur idea illius divisionis seu interfectionis. quoad 2. m. pb. divisio seu interfectio spatii indefiniti est indivisa in seipsa, neque obversatur ut duæ res; ergo non est pars membrorum dividentium, quæ non sunt una res.

Corollarium 1. Hinc figura semper est cum extensione aliqua sive corporis ambientis, seu corporis contenti; quia est terminus extensionis; sed quia est aliquid distinctum ab extensione, ejus existentia potest dependere vel à corpore ambiente, vel à corpore contento, vel omnino ab aliquo ente tertio.

Corollarium 2. Etiamsi in mundo non possit dari sine concomitante figura extensio; potest tamen dari figura sine extensione corporis contenti; quia figura talis potest à Deo conservari eo fine, ut referatur ad corpus ambiens.

Corollarium 3. Figura est aliquod ens absolutum; non relativum; quia potest concipi sine relatione ad ullam extensionem; etiamsi in statu reali semper habeat relationem ad aliquam extensionem.

Conclusio 2. Figura cujusque compositi distinguitur realiter à figura partium. pb. Concl. Figura compositi est una ac indivisa in se, ergó non est omnes figuræ partium simul sumptæ; alioquin foret divisa in se, & multiplex. Ant. pb. idea figuræ circularis, sphæricæ, aut conicæ est simplex, ergo etiam à parte rei potest ac debet esse talis.

Corolla-

Corollarium. Adeoque figura totius universi, resultans ex combinatione omnium partium simplicium, est unica ac indivisa in se; quia potest una idea continua comprehendi.

Conclusio 3. Quævis figura continua est indivisa in se, & divisibilis in infinitum. pb. Concl. *Idea* figuræ continuæ non repræsentat partes actu distinctas, sed potest à mente dividi, ergo etiam à parte rei ita potest fieri; quia status realis non differt intrinsecè à statu ideali. Ant. pb. in idea figuræ continuæ nunquam obversatur novitas, aut distinctio, ergo nec repræsentantur partes distinctæ.

Pb. 2. Divisio ejusdem perfectionis in duas perfectiones non repugnat, ergo nec divisio figuræ, pb. Ant. divisio non est alicujus novæ perfectionis productio, sed tantum ejusdem perfectionis manentis sublata priori unica individuatione sub duabus individuationibus positio; at hoc non repugnat, ergo nec divisio.

Pb. 3. Mens potest perfectionem indefinitam subjicere limitationibus, quotcunque voluerit; ergo possibilis est Divisio.

Pb. 4. Figura seu terminus extensionis indefinitæ est aliquid ab extensione realiter distinctum, ergo potest multiplicari in extensione pro arbitrio Domini idearum.

Conclusio 4. Quantitas corporum nihil aliud est, quàm vis projiciendi certum angulum. Ut intelligatur conclusio, observa 1. quantitatem ac magnitudinem cujusvis corporis mensurari posse aliquo angulo, ut patet è Geometria. Observa 2. quodvis corpus actu subtendere infinitos possibiles angulos, quia quodvis corpus infinitis angulis secundum diversam distantiam loci comprehendi potest. Observa 3. angulos illos, quibus corpus quodvis actu comprehenditur, actu quidem in aere distinctos non esse, sed continuativè unitos; interim tamen quodvis corpus habet vim illos angulos, quos in aërem vicinum continuativè unitos projicit, distinctè imprimendi menti aut oculo. Dico proin, quodvis corpus extensum habere figuram, non tamen ullam determinatam magnitudinem; nisi hanc, quod habeat vim aeri vicino imprimendi angulos in potentia ab invicem distinctos; quos data occasione juxta leges naturæ actu imprimit menti aut oculo. Hoc Systema sic probatur. Omnia supposita hujus systematis dantur; nec datur ratio requirendi plura; ergo tota quantitatis doctrina hoc systemate rectè comprehenditur. Ant. quoad 1. m. pb. ab omni corpore imprimitur oculo aut menti angulus distinctus;

 in aere

in aere intermedio latent in potentia infinitipoſſibiles anguli ; & corpus habet vim hos poſſibiles angulos actuandi ac oculo imprimendi ; ergo dantur omnia ſuppoſita.

Pb. 2. Quantitas non eſt menſura corporis inhærens corpori, ſed tantum apparens ; ergo realis quantitas nihil aliud eſt, quàm vis projiciendi angulos. pb. Ant. poteſt corpus manente eadem quantitate ac menſura corporis eſſe parvum & magnum ; ergo quantitas non eſt menſura intrinſeca. pb. Ant. ponamus Deum in exiguo globulo condere integrum univerſum, huic noſtro mundo ſimile, ſervata eadem proportione partium, quæ reperitur in noſtro mundo ; in tali mundo quantitas viſa omnium corporum omnino foret eadem, quæ eſt in noſtro mundo ; ut patet ex Optica, quia omnia ab hominibus illius mundi viderentur ſub iisdem angulis, ſub quibus videntur in noſtro mundo. Jam ſic. Quantitas hujus mundi viſa eſt ſimul etiam illius quantitas vera, ergo eſt eadem quantitas corporum in hoc mundo, & in noſtro exiſtentium : non inhærens ; ergò tantum apparens. Ant. pb. homines illius mundi tam parum deciperentur circa ſuam quantitatem, quàm parum decipimur nos circa noſtram ; quin ſcire non poſſumus, an non forte noſter mundus ſit talis exiguus globulus ; ergo quantitas viſa eſt ſimul etiam quantitas vera.

Pb. 3. Non poteſt dari ulla determinata menſura præter angulos ; ergò nequit in ipſis corporibus dari ulla determinata menſura ſeu quantitas. pb. Ant. nunquam poteſt deveniri ad aliquam communem menſuram, à qua omnia menſurentur ; ergo nunquam datur determinata menſura. pb. Ant. omnis menſura ab alia minori menſura menſurari poteſt ; ergo nunquam devenitur ad ultimam.

Pb. 4. Si daretur aliqua determinata quantitas in ipſo corpore. v. g. hoc muro, tunc poſſet aliquando propriâ ſui ideâ cognoſci, ſed nunquam poteſt cognoſci, ergo. min. pb. quantitas muri viſa perpetuò variatur pro diverſo oculi ad murum ſitum ; nec ulla diſtantia aſſignari poteſt, in qua vera muri quantitas projiciatur in oculum, ergo determinata quantitas eſt incognoſcibilis, adeoque fruſtranea.

Pb. 5. Non intelligitur aliqua magnitudo niſi per angulos ; ergo nec exiſtit aliqua magnitudo, niſi per angulos. pb. Ant. quidquid dicitur magnum vel parvum, dicitur comparativè ad aliud corpus magnum vel parvum ; ergo non intelligitur ulla magnitudo niſi per angulos. Ant. patet, quia idem mons, idem exercitus, idem campus dicitur à diverſis hominibus magnus & parvus ; quia nempe tacitè comparantur in mente

eorum

forum cum aliis montibus &c. C. pb. non poteſt unum corpus dici majus altero, niſi inquantum experimentaliter obtendit majorem angulum; ex hoc enim ſcimus, quod minor quantitas ſit pars aliquota majoris, ergo.

Pb. 6. Quantitas proprii corporis non eſt per ſeipſam nota, ſed tantum per menſuram extrinſeceam; ergo non datur ulla quantitas ſeu menſura intrinſeca. pb. Ant. nemo poteſt dicere, quantæ magnitudinis ſit, niſi comparativè ad alia corpora, ergo. pb. Ant. Petrus exiſtens in altero mundo globulario videretur ſibi habere eandem quantitatem, quàm ſibi videtur habere Petrus exiſtens in noſtro mundo, & tamen erraret, ſi de ſua quantitate pronuntiaret abſolutè non comparativè; ergo etiam erraret noſter Petrus, & omnes alii homines noſtri mundi; quia non eſt melior horum conditio.

Corollarium 1. Quantitas diſtinguitur realiter à materia prima, & forma ſubſtantiali; quia vis projiciendi diverſos angulos realiter diſtinguitur ab Extenſione indefinita, & figura partium; ut de idea Actionis probabitur.

Corollarium 2. Totus mundus non eſt ſecundum ſe major arenula exigua; quia omnis magnitudinum dimenſio tantum conſiſtit in angulis, qui non ſunt in rebus ipſis, ſed in ambiente fluido, aut in mente; poteſt tamen mundus ſimpliciter dici major unica arenula, quia habet vim projiciendi majorem angulum.

Corollarium 3. Eadem res poteſt eſſe parva & magna ſimul eodem tempore, quia eodem momento poteſt projicere diverſos angulos; & comprehendi ſub diverſis angulis; & conſequenter idem corpus poteſt ſimul commenſurari magno & parvo ſpatio; quin ullam in ſua ſubſtantia ſubeat mutationem. Quid igitur impoſſibilitatis ſit, ſi corpus Chriſti comprehendatur ſub parvo panis ſchemate?

Corollarium 4. Omne continuum eſt diviſibile in infinitum. Quia omnis magnitudo habetur per angulos, qui continuativè uniuntur inter ſe in ambiente fluido; hi anguli comprehendunt ſpatium, & ſunt aliqua figura; ſicut igitur figura diviſibilis eſt, ita etiam continuum.

Concluſio 5. Impenetrabilitas corporum nihil aliud eſt, quam vis projiciendi aggregatum angulorum ſibi proprium. pb. Concl. In omni corpore datur talis vis, & hæc ad reddendum corpus impenetrabile ſufficit; ergo in hoc conſiſtit. Ant. quoad 1. m. patet, quia quodvis corpus projicit aggregatum angulorum, quod nullum aliud corpus projicit. quoad 2. m. pb. quia nil menti aliud occurrit concipiendo impe-

netrabilitatem, quam vim impedientem, ne duo corpora comprehendantur sub eodem angulo.

Corollarium. Hinc non implicat duo corpora compenetrari quia possunt comprehendi sub eodem angulo, servata suâ substantia, ac proportione partium.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. Figura nihil aliud est, quàm situs partium; sed hic non distinguitur ab ipsis partibus. maj. pb. in ligno prodit figura statuæ, quàmprimùm resectis partibus superfluis incipit manifestari situs partium; similiter conjungendo lapides prodit figura domus, ergo. 2. Non obversatur animo ulla distinctio inter extremitates cubi, & inter cubum, ergo figura est continuativè eadem cum extensione cubi. 3. Si figuræ distinguuntur realiter à materia, tunc dantur indivisibilia mathematica, nempe puncta, lineæ, superficies; sed hoc est impossibile. ergo. min. pb. non potest concipi aliquid indivisibile, ergo est impossibile. Ant. pb. omne punctum, & omnis linea obversatur menti ut habens duas extremitates, & medium, ergo. 4. Si Figuræ forent distinctæ, tunc quovis momento deberent destrui & produci innumera entia, sed hoc est imperceptibile, ergo. maj. pb. in aqua, aere semper est alia figura, quia nunquam quiescit, ergo. Resp. ad 1. n. maj. quia concipiendo figuram sphæricam, aut cubicam non sentio obversari menti diversas partes, aut diversa connotata loci; sed ideam simplicem indivisam. Figura statuæ aut domus resultat è positione ac situ partium; non consistit in illo situ. ad 2. d. non obversatur ulla distinctio localis. c. idealis. n. a. ut enim in conclusionis probatione ostensum est, habetur alia idea figuræ; alia extensionis indefinitæ; sicut etiam albedo non habet distinctionem localem à corpore extenso; sed habet tamen distinctionem idealem. ad 3. t. maj. n. min. ad pb. n. a. ad hujus pb. d. omne punctum, & omnis linea mechanica obversatur ut habens extremitates. c. linea mathematica, aut physica. n. quando concipimus lineam seorsim, eoipso concipimus aliquid quantum; quando autem concipimus terminum rei quantæ, non concipimus duas extremitates, ut cuivis est manifestum. ad 4. d. quovis momento deberent produci innumera entia, nisi eadem figura manens eadem posset in seipsa continuativè mutari. c. secus. n. maj. ut enim videbimus de idea actionis, quodvis continuum potest continuativè

tive mutari sine productione novi entis, quia in tali mutatione nunquam menti obversatur novitas, aut à priori ente distinctio.

Obj. 2. Cont. 2. Concl. Non datur compositum, cujus partes ita cohæreant, ut constituant unam figuram continuam; ergo figura continua compositi est fictitia. pb. Ant. si sphæra etiam polita inspiciatur microscopio, apparent inæqualitates, ergo; 2 Figura compositi deberet per modum accidentis existere in diversis subjectis realiter distinctis, at hoc est impossibile, quia accidens jam individuatur ab uno subjecto. 3. Figura universi existeret per existentias innumeras omnium corporum universi, ergò eoipsò non esset unum ens. 4. Si in composito daretur figura distincta à figura partium, tunc in eadem parte compositi daretur duplex figura ejusdem rationis, sed hoc est impossibile, ergo. min. pb. accidens individuatur à subjecto, ergo in eodem subjecto non datur duplex accidens ejusdem rationis. 5. Nunquam obversatur animo figura simplex compositi, nisi quandò ipsum compositum obversatur per modum entis simplicis, ergo. 6. Partes compositi perpetuò corrumpuntur, quin corrumpatur tota figura compositi; ergo non potest dari una figura compositi.

Resp. ad. 1. d. a. partes compositi nunquam ita cohærent, ut constituant unam figuram continuam formaliter. t. a. occasionaliter. n. a. licet enim in sphæra lignea partes non ita cohæreant, ut constituant se solis figuram continuam rotundam; præbent tamen occasionem concipiendi rotunditatem illam latentem in aere ambiente, quæ, sicut omnes aliæ figuræ, latet divisibiliter actu in aere: & hinc mens non errat, concipiendo circum sphæram ligneam rotunditatem; quia datur ibi rotunditas, licet nondum actu divisa ab inæqualitatibus. ad 2. c. maj. n. min. quia accidens solum individuatur à subjectò adæquato, quod est complexum omnium partium. Et si una continua lux, una continua vox, una continua anima potest existere in pluribus partibus realiter distinctis, cur non etiam figura. Sic etiam relatio, aut unio non repugnat esse in pluribus subjectis. ad 3. d. a. figura universi existeret per plures existentias, inquantum sunt plures. n. inquantum sunt una ratio existentiæ. c. cùm enim figura compositi ex suo conceptu attingat plura subjecta, eoipsò non attingit individuationem illorum; sed habet individuationem à complexo omnium individuorum. ad 4. n. maj. quia, sicut omnes aliæ figuræ in-

ræ intrinlecè differunt ob diversas ideas; ita etiam figura compositi à partium figura differt; & hinc dantur in eodem subjecto duæ figuræ diversæ, quarum tamen diversitas non ex partibus, sed ex integro composito æstimanda est; & distinctio ex individuatione diversa sumitur. ad 5. n. a. quia etiamsi distinctè obverfetur diversitas partium, semper tamen simul obversatur aliqua figura totius, ut figura integræ structuræ lapidum. ad 6. c. a. n. C. quia, uti videbimus, continuum mutari potest continuativè, quin destruatur; sicut & anima hominis non perit, quando desinit animare partem resectam, & quando incipit animare partem noviter adnatam.

Obj. 3. Cont. 3. Concl. Si figura continui est divisibilis, tunc per solam divisionem v. g. cultro factam ex uno ligno possunt fieri duo ligna; at hoc est impossibile, ergo. min. pb. non datur causa destructiva prioris ligni, & productiva duorum novorum lignorum, ergo. 2. Non constat ope divisionis unquam unum corpus in duo corpora divisum esse, ergo non constat de possibilitate. Ant. pb. potest dici, semper indivisione tantum separari partes actu distinctas, sicut resolvitur domus, ergo. 3. Unitas est indivisibilis, atqui omne corpus simplex est unitas, ergo. 4. Quæ semel identificata sunt, semper manent identificata; ergo extremitates corporis quanti semel identificatæ semper manent identificatæ. 5. Non potest intelligi, unde tam subitò adveniant duæ novæ individuationes, sublata priori unica; ergo. Resp. ad 1. c. maj. n. min. ad pb. n. suppositum, in divisione fieri corruptionem, aut productionem novi entis; nihil enim corrumpitur, aut producitur, nisi individuatio; omnes reliquæ perfectiones compositi manent in priori statu. ad 2. t. a. n. C. quia etiamsi experientia non possit demonstrari, factam esse talem divisionem; constat tamen à ratione, eam facile fieri posse; & quia facile fieri potest, ideo præsumitur aliquando fieri. ad 3. c. maj. n. min. corpus enim est res extensa habens unitatem; & sublata hac unitate id, quod fuit unum, potest fieri duplex. ad 4. d. manent identificata manente eadem individuatione. c. individuatione sublata. n. ad. 5. n. a. quia individuatio provenit ab ordine universi, ut suo loco monstrabitur. Ordo autem iste à quovis subjecto pro sua dispositione ultro recipitur, ob connexionem ac seriem causarum.

Obj. 4.

Obj. 4. Cont. 4. Concl. Quantitas potest separari à substantia; ordo projiciendi certos angulos non potest separari; ergo quantitas & vis ista non sunt idem. Ant. quoad 1. m. patet ex eucharistia, quoad 2. m. pb. vis projiciendi certos angulos est aliquid relativum; ergo non potest separari. 2. Etiamsi nihil existeret præter unicum corpus; haberet tamen suam magnitudinem, ergo magnitudo non dependet ab angulis extrinsecis. 3. Independenter ab omni angulo totum est majus sua parte, ergo res in se ipsa habet magnitudinem; alioquin musca secundum se foret æqualis elephanti. 4. Ipsa triangula sunt magna per magnitudinem à se distinctam; ergo magnitudo non constituitur per diversa triangula. pb. Ant. triangula æqualium angulorum sunt tamen magnitudine diversa; ergo anguli, & magnitudo triangulorum non sunt idem. 5. Si Deus in globulo exiguo conderet novum universum; magnitudo illius universi & omnium partium longe foret alia à magnitudine nostri universi; ergo falsum est ob æqualitatem angulorum darì eandem magnitudinem. Ant. pb. ab experientia sensuum, qui tale universum tantùm per modum nucis experirentur. 6. Quando comparo duas longitudines inter se, v. g. palmarem & bipalmarem; excessus longitudinis non videtur dependere ab additione angulorum, sed ab additione longitudinum.

Resp. ad 1. c. a. g. 1. m. n. quoad 2. ad pb. c. a. d. C. ergo non potest separari se sola. t. cum figura, aut aliis accidentibus, n. sicut enim quantitas seu vis projiciendi angulos recipitur in substantia tanquam in subjecto; ita destructa substantia potest recipi in figura accidentali totius compositi; & hinc quantitas non est subjectum aliorum accidentium, sed figura. ad 2. d. haberet magnitudinem radicalem ac physicam, c. formalem ac opticam n. vis projiciendi angulos jam est radicaliter magnitud.. ad 3. d. similiter totum est majus suis partibus radicaliter. c. formaliter. n. quia nempe totum habet vim projiciendi majorem angulum, quàm partes. Et potest argumentum retorqueri in adversarios, qui distinguunt quantitatem à substantia; quæro enim, an substantia elephantis secundum se sit major substantiæ muscæ? Dicent nempe, esse majorem radicaliter ac exigitivè, quia substantia elephantis exigit majorem quantitatem. Eodem modo dico, elephantem habere vim projiciendi majorem angulum. ad 4. d. triangula ut quod c. triangula ut quo. n. verum enim est, triangula, quæ videntur tanquam objectum ut quod, videri per alia triangula; & ideo triangula ut quod sunt magna

per alia triangula seu angulos. Sed triangula ut quo, quibus mediantibus videntur omnia magna, non sunt magna aliâ magnitudine à se distinctâ; sunt enim formalis mensura omnium corporum. ad 5. d. magnitudo illius universi foret alia respectivè ad nos. c. absolutè. n. licet enim illud universum in nostros oculos projiceret minorem angulum, quàm projicit nostrum universum; idem tamen in oculos suorum hominum projiceret eosdem angulos; quos nostrum universum projicit in nostros oculos; igitur non constat, absolutam quantitatem illius universi fore minorem quantitate nostri universi. ad 6. n. a. quia non potest intelligi additio longitudinum, quin intelligatur objectum subtendere majorem angulum.

Dices: Ipsi anguli sunt inæquales magnitudine, ergo datur aliqua absoluta magnitudo, ergo illa poterit attribui ipsis objectis. Resp. c. a. d. C. ergo datur absoluta magnitudo angulorum. c. rerum. n. hæc enim magnitudo potest concipi; alia autem magnitudo non potest concipi.

Obj. 5. Cont. 5. Concl. Non possunt duo corpora intelligi in eodem loco, ergo impenetrabilitas est de essentia corporum. pb. Ant. si duo cubi sint compenetrati, non obversatur ulla ulterius eorum inter se distinctio, ergo. 2. Si impenetrabilitas tantum proveniret à vi projiciendi aggregatum angulorum proprium, tunc penetratio corporum esset possibilis naturaliter, sed hoc est falsum, ergo. pb. maj. naturaliter est possibile, ut vis activa aliquando non consequatur effectum suum, ergo etiam erit possibile, ut vis projiciendi aggregatum angulorum aliquando non consequatur effectum suum. Resp. ad 1. n. a. ad pb. d. non obversatur distinctio quoad dimensionem extrinsecam. c. quoad dimensiones intrinsecas partium. n. nam intrinsecus ordo & figura partium sufficientem servat distinctionem corporum, quæ compenetrantur; licet superficies sit eadem. Et circa partes simplices omnino similes compenetratio non tollit diversam individuationem, seu ordinem ad diversas actiones, passiones, & affectiones. ad 2. n. maj. ad pb. d. a. est possibile, ut vis activa non consequatur effectum antecedenter ad leges arbitrarias naturæ. c. consequenter ad illas leges. n. potest quidem author naturæ ita ordinare naturam, ut vis activa aliquando non consequatur effectum suum, prout circa varias causas ordinavit; sed potuit etiam ita ordina-

ordinare, ut vis activa semper consequeretur effectum suum; & ita ordinavit circa vim activam projiciendi angulos.

Dices: Cubus non novit, quodnam aggregatum angulorum sibi competat, ergo poterit fieri, ut aliquando duo cubi ex inadvertentia idem aggregatum angulorum projiciant. Resp. c. a. n. C. quia enim entia realia non differunt intrinsecè ab intellectualibus, ideò ordo corporum ad suos angulos, & ordinatio rationis, qua author naturæ corpus ad eosdem angulos ordinat, intrinsecè non differunt; sicut igitur author naturæ non errat in sua ordinatione, præordinando quodvis corpus ad proprium aggregatum angulorum, ita etiam ordo rebus impressus non errat projiciendo angulos.

QUÆSTIO VIII.

Quænam sit idea Qualitatum?

Conclusio 1. Lux, color, calor, frigus, sonus, odor, sapor sunt qualitates realiter distinctæ à suo subjecto. pb. Concl. Idea harum qualitatum est diversa ab idea extensionis, & cujuscunque alterius subjecti, ergo sunt realiter distinctæ. C. patet, quia ideæ sunt verissima imago rerum.

Conclusio 2. Humiditas, Siccitas, Raritas, Densitas, Gravitas, Levitas, Diapheneitas, Opacitas, Tensibilitas, Compressibilitas, Ductibilitas, Frangibilitas, Mollities, Elasticitas, Asperitas, Lævigatio. & Resistentia corporum non distinguuntur realiter à quantitate Substantiæ. pb. Concl. Vis projiciendi diversos angulos est ipsissima quantitas; sed omnis hujusmodi qualitas nihil aliud est, quàm vis projiciendi diversos angulos, ergo omnis hujusmodi qualitas nihil aliud est, quàm ipsa quantitas. maj. patet ex quæst. præced. min. pb. ab enumeratione ac definitione harum qualitatum.

1. Humiditas est rei dispositio facillimè mutandi figuram, sed dispositio facillimè mutandi figuram nihil aliud est, quam vis projicien-

 di di-

di diversos angulos. ergo. maj. patet, quia humidum vocatur, quod facillimè terminatur terminis alienis. min. pb. omnis figura constituitur ex angulis, ergo dispositio mutandi figuram est vis mutandi angulos.

2. Siccitas est rei dispositio difficulter mutandi figuram, sed dispositio difficulter mutandi figuram est nihil aliud, quàm vis projiciendi constanter eosdem angulos, ergo. maj. patet, quia siccum vocatur, quod difficulter terminatur terminis alienis. min. pb. ut prius.

3. Raritas est rei dispositio occupandi majus spatium manente eadem quantitate materiæ, sed hæc dispositio nil aliud est, quàm vis projiciendi majorem angulum, ergo.

4. Densitas est rei dispositio occupandi minus spatium manente eadem quantitate materiæ, sed hæc dispositio nil aliud est, quam vis projiciendi minorem angulum, ergo.

5. Gravitas est rei dispositio appropinquandi centro terræ; sed hæc dispositio nil aliud est, quam vis projiciendi angulos continuò decrescentes versùs centrum terræ, ergo.

6. Levitas est rei dispositio recedendi à centro terræ; sed hæc dispositio nil aliud est, quàm vis projiciendi angulos continuò crescentes à centro terræ, ergo.

7. Diaphaneitas est rei dispositio comprehendendi lucem sub angulo quantitatis propriæ; sed hæc dispositio nil aliud est, quàm vis continuandi angulos radiorum lucis, ergo.

8. Opacitas est rei dispositio excludendi lucem ab angulo quantitatis propriæ; sed hæc dispositio nil aliud est, quàm vis terminandi angulos radiorum lucis, ergo. Hinc eadem vis corporis opaci est causa Reflexionis modificando angulos lucis; & eadem vis corporis diaphani est causa Refractionis modificando angulos lucis.

9. Tensibilitas est vis provehendi angulum longitudinis, accedente tractione.

10. Compressibilitas est vis contrahendi angulum magnitudinis, accedente pressione extrinseca.

11. Ductibilitas est vis angulos latitudinis & profunditatis mutandi in angulos longitudinis, accedente ductu extrinseco.

12. Frangibilitas est vis dividendi angulos, accedente concussione extrinseca.

13. Mollities est vis mutandi figuram ac angulos, accedente pressione extrinseca.

14. Ela-

14. Elasticitas est vis se restituendi ad angulos magnitudinis sibi connaturales, cessante pressione extrinseca.

15. Asperitas est inæqualitas angulorum in superficie. Levigatio est talium angulorum æqualitas.

16. Resistentia corporum est vis projiciendi eosdem angulos extrinsecos in occursu aliorum corporum.

Conclusio 3. Qualitates non sunt sibi invicem intrinsecè contrariæ. pb. possunt contrariæ qualitates simul ab eadem mente intelligi, ergo etiam possunt simul in eadem re existere: quia ideæ eodem modo possunt existere extra mentem, sicut existunt in mente. pb. Ant. eadem mens interdum afficitur dolore & voluptate, calore & frigore, ergo contrariæ qualitates possunt simul intelligi. Ant. patet in aliqua actione heroica ardua, quæ simul cum dolore etiam voluptatem creat; aut in tragœdia, in qua in ipsa commiseratione ac tristitia de malo alieno animus simul delectatione perfunditur.

Corollarium. Hinc Contrarietas tantùm provenit à Legibus naturæ, vi quarum idem subjectum plerumque non ordinatur simul ad qualitates adeò diversas.

Conclusio 4. Intensio aut Remissio Qualitatis est mutatio continuativa, manente qualitate eadem. pb. Concl. Talis mutatio continuativa manente eadem qualitate potest intelligi, ergo etiam potest dari. pb. Ant. potest calor immediate afficiens mentem ita successivè intendi, ut nunquam à mente in hoc calore possit assignari ac determinari novitas; ergo potest intelligi mutatio continuativa manente qualitate eadem; quia ubi nulla reperitur novitas, ibi datur identitas. Conf. eadem idea manens eadem potest continuativè mutari, ergo etiam eadem qualitas manens eadem potest continuativè mutari. Ant. patet ex idea figuræ, lucis, caloris, soni, colorum: sæpe enim fit transitus à viridi ad cæruleum, & vicissim, ut color medius nullam habeat distinctionem ab extremis.

Corollarium. Hinc diversæ species qualitatum intra idem genus tantum nascuntur ex divisione ejusdem qualitatis continuativè se in varias species transformantis. v. g. sonus continuativè transformatus in varias species post sui divisionem relinquit species divisas; ita etiam lux in omnes colorum species dividi potest; & pari ratione omnis qualitas in infinitas species aut gradus divisibilis est.

Conclusio 5. Omnium Qualitatum status ac mutatio per leges arbitrarias naturæ dependet à figura & motu materiæ. Id est, qualitates, quæ ex seipsis nullam habent connexionem cum figura & motu ma-

teriæ, acquirunt aliquam connexionem ex ordinatione naturæ. pb. Concl. Qualitates intellectualiter coordinantur cum figura & motu materiæ, ergo etiam extra mentem habent ordinem ad figuram & motum materiæ: cùm enim intellectualis mundus à mundo reali intrinsecè non differat, necesse est, eundem ordinem qualitatum ad motum & figuram materiæ, qui reperitur in mundo intellectuali, reperiri etiam in mundo reali. pb. Ant. sonus, calor, color semper obversatur cum aliquo motu partium; ergo intellectualiter coordinatur.

Pb. 2. Status & mutatio qualitatum potest convenienter coordinari cum motu & figura materiæ; ergò præsumitur coordinari; quia quod pronum est fieri, regulariter fit. Conveniens est omnes mutationes mundi corporei dependere ab uno universali principio, ad cujus mutationem secundum certas ac stabiles proportiones sequatur omnis alia mutatio; sed tale principium tantùm est motus & figura materiæ: maj. patet, quia ordinatum systema, ac simplex conforme est legibus sapientiæ; hæ enim requirunt, ut ex uno principio sequantur omnia, & ut detur omnium partium in uno principio ordinata ad invicem connexio. min. pb. tantùm motus & figura materiæ reperitur ubique, & est fundamentum proportionum, ergo.

Pb. 3. Motus & figura materiæ præsupponitur ad omnes alias qualitates, ergo est principium & regula illarum. C. patet, quia ordo prioris ad consequens rebus impressus est ipsa vis ac causalitas rerum. Ant. pb. Motus & figura est universalis proprietas materiæ, ergo ordine rationis pro priori materia assignantur motus & figura, quàm qualitates; quia intellectus non potest prudenter determinare accidentia rei, nisi prius determinaverit proprietates rei.

Corollarium 1. Hinc Quantitas dimensiva est prima dispositionum materialium, & causa omnium reliquarum affectionum.

Corollarium 2. Cùm tam motus quàm figura constent ex meris angulis, & proportionibus angulorum: necesse est angulos, & proportiones angulorum causam esse omnium mutationum & affectionum sensibilium. Quales verò sint illæ proportiones; an Geometricæ, Musicæ &c. experientia docebit.

Corollarium 3. Cùm aliquæ qualitates non stabiliter inhæreant suo subjecto, sed etiam se diffundant per intermedium, ut sonus, lux, color; necesse est statum & mutationem talium qualitatum dependere à motu & figura partium materialium in intermedio; ac proin earum status transit, & mutatio facilis est.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. Omnes qualitates possunt explicari per diversam figuram, motum, ac combinationem partium, ergo non sunt distinctæ à materia. pb. Ant. v. g. potest dici, quod lux consistat in motu subtilis materiæ; quod calor consistat in motu rapidissimo partium, quod sonus consistat in motu quodam aeris &c ergo. 2. Si darentur distinctæ qualitates, tunc existentia tribueret illis eundem effectum formalem, quem tribuit substantiæ, nempe denominationem entis existentis per se. 3. Non potest intelligi ens sine extensione corporea impenetrabili, quin sit Spiritus. Ergo cùm qualitates sine extensione sint, extra mentem non sunt. 4. Qualitates patibiles, calor, lux, sonus tantum sunt modificationes mentis, ergo. pb. Ant. non potest intelligi, quomodo possit in aere reperiri aliquid simile nostris sensationibus, quando mente percipimus harmoniam musicam, ergo. 5. Non potest ostendi implicantia in hoc, quod qualitates sint tantum modificationes mentis, ergo sunt: si enim figura corporum, & aliæ qualitates, manente eadem entitate, ita continuativè possunt mutari, ut induant diversissimos status, & transformentur in diversissimas species, cur id denegetur menti, enti longe nobiliori?

Resp. ad 1. d. Qualitates occasionales possunt explicari per motum, & figuram partium. t. formales. n. a. formales voco id omne, quod obversatur menti, dum cogito de luce, sono &c. & de his dubium non est, quin sint aliquid distinctum à figura & motu partium, cùm in suo conceptu non conveniant: qualitates occasionales voco motum & figuram partium materialium, quarum occasione in mente nostra excitantur tales ideæ lucis, colorum &c. verùm, ut in Physica videbimus, dantur in mundo corporeo non tantum qualitates occasionales, sed etiam formales; id est, datur in objecto aliquid simile nostris ideis v. g. lucis, caloris, soni. ad 2 n. a. & suppositum, quod effectus formalis existentiæ sit existere per se, existere enim per se est ita existere, ut existentia compositi dependeat ab existentia partis existentis. ad 3. n. a. quia licet corporea & incorporea intrinsecè non differant, differunt tamen extrinsecè; & corporea vocantur, quæ alligantur extensioni per modum accidentis. ad 4. n. a. ad pb. n. a. quia mundus intellectualis & realis intrinsecè non differunt; cogita proin harmoniam, quæ obversatur menti, fieri independens ab arbitrio mentis, & habes harmoniam realem. ad 5. t. a. n. C. quia hæ qualitates obversantur tanquam objectum mentis, ut

quod;

quod; adeoque sunt divisæ à mente, & possunt etiam dividi extra mentem: utrùm verò continuativè possint esse idem cum mente, non est necesse hic examinare.

Obj. 2. A Physicis assignantur longè aliæ causæ humiditatis, gravitatis, elasticitatis &c. ergo possunt aliter explicari. pb. Ant. sic humiditas dicitur consistere in volubilitate materiæ globosæ; gravitas dependet à pressione incumbentis ætheris &c. 2. Non potest dici, an vis projiciendi angulos humiditatis, raritatis, gravitatis &c. sit tantum una qualitas. Resp. ad 1. c. a. n. C. quia hi Physici supponunt has qualitates tantum esse proprietates compositorum, non autem partium simplicium; sed, ut patet ex idea harum qualitatum, possunt etiam esse proprietates partium simplicium, ita ut eadem indivisibilis pars possit fieri humida & sicca, gravis & levis, opaca, & diaphana, rara, densa, elastica &c. Cum igitur natura tam facilè possit omnes mutationes producere ex mutatione partium simplicium, cur eligeret alium modum longe intricatiorem? ad 2. n. a. & dico, vim illam actu esse unam ac indivisam, sed divisibilem, & potentiâ multiplicem; quin & continuativè mutabilem; sicut enim ordinatio mentis continuativè mutabilis est; ita etiam ordo rebus impressus continuativè mutari potest; quia intellectualia & realia intrinsecè non differunt.

Obj. 3. Cont. 3. Concl. Calor intrinsecè exigit expelli frigus à suo subjecto, ergo qualitates sunt intrinsece contrariæ. 2. Idem subjectum non potest simul moveri motibus contrariis, ergo dantur saltem motus intrinsece contrarii; adeoque eadem res non potest simul esse gravis & levis, humida & sicca, rara & densa &c. 3. Summus calor, & summum frigus, summa beatitudo, & summus dolor non possunt connaturaliter simul stare; ergo datur intrinseca contrarietas. Resp. ad 1. n. a. quia possunt simul in eodem subjecto intelligi; licet juxta leges hujus nostri mundi corporei simul non maneant. ad 2. n. a. quia, ut videbimus de Idea loci, eadem res potest simul existere in diversis locis, & occupare diversa spatia; licet id juxta leges hujus nostri mundi corporei non soleat fieri. ad 3. n. a. vel d. summus dolor cum defectu beatitudinis non potest simul stare cum summa beatitudine. &c. sine hoc defectu. n. quin dolor etiam in humanis non est miseria & imperfectio, sed character miseriæ, quia est cum defectu alterius beatitudinis; aut dic, dolorem idealiter sumptum non reddere miserum; quia tunc immediatè unitur cognitioni, non subjecto.

Obj.

Obj. 4. Cont. 4. Concl. In intensione qualitatum mutatur etiam existentia & individuatio qualitatum; ergo non potest manere eadem qualitas. 2. Potest dici, quod intensio fiat per additionem gradus ad gradum vel homogenei vel heterogenei; vel quod fiat per remotionem sui contrarii; vel quod consistat in majore radicatione in suo subjecto. 3. Si una eademque qualitas posset continuativè ita mutari, ac transformari in varias species; tunc non repugnat ens simplicissimum, quod in se contineat eminenter species omnium entium; sed hoc est falsum, ergo. min. pb. Si posset dari tale ens, tunc non debent effectus formaliter contineri in sua causa; nec necesse est, diversas perfectiones in uno ente virtualiter distingui; at hoc est contra nos, ergo. 4. Si una qualitas potest continuativè à se emanare diversas species, tunc existentia sola poterit à se emanare species omnium entium; ergo præter effectus sensibiles non requiritur in mundo alia causa, nisi sola existentia. 5. Si lux potest continuativè à se emanare omnes colores, tunc colores non forent inter se specie diversi.

Resp. ad 1. n. a. Quia existentia & individuatio distinguuntur à quavis re. ad 2. n. a. Quia in idea Intensionis, quando in meipso sentio crescere calorem, horum nihil exprimitur; non enim sentio accedere gradus novos ac distinctos; nec sentio aliquod contrarium, quod removeri debeat. Quid verò sit major radicatio in subjecto, nisi explicetur secundum nostram sententiam, omnino non intelligo. ad 3. d. non repugnat ens simplicissimum increatum. c. creatum. n. quia in creatis perfectiones divisæ sunt; ita ut tantum relinquantur nobis aliqua increatæ simplicitatis vestigia; & hæc vestigia invenimus in qualitatibus, & perfectionibus simplicibus: nullibi autem constat, ipsas perfectiones simplices diversi generis continuative inter sese unitas esse; licet fortè possint esse unitæ, & aliquando etiam sint ita unitæ: & hinc, quia ideæ nostræ nunquam repræsentant perfectiones simplices diversi generis, v. g. colores & sonum, continuativè unitas, ideò rectè admittitur in creatis distinctio virtualis. ad 4. d. existentia increata. c. creata. n. quia constat existentiam creatam à reliquis perfectionibus divisam esse; nec in ullo casu nobis obversatur ista continuativa unio, licet forte sit possibilis. ad 5. n. a. quia colores divisi fundant diversas ideas. Nota tamen, quod etiam in qualitatibus nunquam per saltum emanetur alia perfectio, sed semper per medium continuans: licet nonnunquam valde diversa inter se modo mirabili continuentur, ut lux, & tenebræ; quod quoti-

dic

die observari potest in cœlo sereno orientali tempore crepusculi; neque enim determinari potest, ubi incipiant tenebræ, & ubi incipiat lux.

Obj. 5. Cont. 5. Concl. Motus & figura non est causa productiva qualitatum, ergo ab iis qualitates non dependent. pb. Ant. non præcontinent perfectiones qualitatum, ergo non sunt causa. 2. Motus & figura sunt tantum accidentia transeuntia, ergo non possunt esse stabilis causa qualitatum. Resp. ad 1. d. non est causa productiva principalis &c. Instrumentalis. n. causa instrumentalis est, quæ est causa, ut effectus à causa principali accipiat existentiam; hinc, quia ordo naturæ connectit essentiam qualitatum cum existentia & individuatione subjecti ob certum motum & figuram partium, ideo sunt causa instrumentalis. ad 2. t. a. n. C. Quia non requiritur, ut causa instrumentalis, quæ producit effectum, etiam eundem stabiliter conservet, sicut patet in mechanicis: aliquando tamen author naturæ ita alligavit qualitates motui & figuræ, ut his cessantibus, statim cessent qualitates; ut sonus, & colores.

QUÆSTIO IX.

Quænam sit idea Loci?

Conclusio 1. Nulla res secundum se est in loco. pb. Concl. Esse in loco, est habere aliquam distantiam ad aliam rem; sed nulla res secundum se habet distantiam ad aliam rem, ergo. min. pb. res secundum se obversatur menti, absque eo, quod obversetur alia res, aut ordo ad aliam rem, ergo.

Corollarium. Hinc Deus, & Universum in loco non sunt; quia extra Deum & Universum nihil datur, à quo distantiam habere possint: potest quidem dici, quod sint in seipsis; sed iste locus intrinsecus non est distincta res, sed tantùm alia denominatio; quia, dum dico, Deum esse in seipso, nil sentio menti obversari, præter ipsum Deum.

Conclu-

Conclusio 2. Locus rei est aggregatum angulorum extrinsecorum rem comprehendentium. Pro explicatione Conclusionis ante oculos siste Mappam Geographicam; quære in ea locum v. g. Urbis Romanæ; quæres sine dubio distantiam hujus urbis ab omni alia urbe in mappa descriptâ; hanc distantiam mensurabis per certos angulos visorios; occurrent tibi variæ ejusdem urbis Romanæ ab aliis urbibus distantiæ; hinc sub variis quoque angulis visoriis comprehendes urbem Romanam; complexum omnium horum angulorum extrinsecorum, qui intercedunt inter rem & alias res, voco aggregatum angulorum extrinsecorum rem comprehendentium. pb. Concl. Quando concipio locum rei, nil sentio animo obversari, quàm varios angulos rei ad alias res, ergo in his angulis consistit locus. pb. Ant. quando concipio locum rei, nil sentio animo obversari, quàm distantiam rei ad alias res; sed dum sentio obversari distantiam rei ad alias res, nil sentio obversari nisi varios angulos rei ad alias res, ergo. Conf. posito hoc angulorum aggregato, ponitur locus rei; & sublato hoc aggregato, tollitur locus rei; ergo in hoc aggregato consistit locus.

Conclusio 3. Aggregatum angulorum extrinsecorum nihil aliud realiter est, quàm figura universi resultans ex innumeris angulis continuativè inter se unitis. pb. Concl. Eadem ideâ, quà sentio mihi ex aliquo systemate corporum obversari figuram, sentio etiam obversari diversos angulos, ergo aggregatum omnium angulorum totius universi, nihil aliud est, quàm figura universi.

Pb. 2. Figura universi divisibilis est in innumeros angulos; & innumeri anguli possunt esse continuativè uniti; ergo nil obstat, quin dicatur, aggregatum angulorum esse figuram universi.

Conclusio 4. Res ponuntur in loco per unionem ad certum aliquod aggregatum angulorum extrinsecorum. pb. Concl. Quando intelligo rem in certo loco, tunc eandem connecto cum certo angulo extrinseco; ergo res à parte rei extra mentem constituitur in loco, quod habeat unionem ac connexionem cum illo aggregato angulorum.

Corollarium. Cùm connexio rei locatæ cum loco nec involvatur in idea rei locatæ, nec in idea loci, necesse est rem poni in loco per aliquid tam à se, quàm à loco distinctum, nempe per unionem,

ſeu ordinem ſui ad hunc locum : & hæc unio poteſt vocari Ubicatio rei ; An verò hanc ubicationem vocare velis Modum rei locatæ, an Relationem ; nil intereſt.

Corollarium 2. Locus re mota manere poteſt immobilis ; quia aggregatum angulorum extrinſecorum poteſt manere idem, etiamſi ſucceſſivè uniatur diverſis rebus locatis.

Concluſio 5. Poteſt eadem res ſimul exiſtere in diverſis locis. pb. Concl. Poteſt eadem res intelligi ſimul ſub diverſis aggregatis angulorum extrinſecorum, ergo etiam poteſt realiter ſimul exiſtere ſub diverſis aggregatis angulorum extrinſecorum. C. patet, quia mundus realis & intellectualis intrinſecè non differunt. Ant. pb. poteſt eadem res ſucceſſivè intelligi ſub diverſis aggregatis angulorum, ergo etiam poteſt ſimul intelligi ; quia ſublata ſola diverſitate temporum relinquitur idea rei locatæ ſimul exiſtentis ſub diverſis aggregatis angulorum extrinſecorum.

Corollarium. Hinc poſſibilis eſt Replicatio, ſeu exiſtentia ejusdem rei in pluribus locis, tam definitiva, quàm circumſcriptiva. Circumſcriptiva vocatur, quando res locata non ſolum in pluribus locis ſervat eandem magnitudinem, ſed etiam agit in corpora ambientia, aut ab iisdem patitur ; ut, ſi idem homo ſimul Romæ, & Pariſiis è cathedra peroraret. Definitiva vocatur, quando res locata in pluribus locis non retinet ſuam quantitatem, nec agit, aut patitur reſpectu corporum ambientium, ut, cùm Chriſtus exiſtit ſub pluribus hoſtiis, in quibus nec patitur, nec agit ad extra modò alioquin ſuo corpori connaturali.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. Quod nullibi eſt, nihil eſt ; ergo omnia ſunt in loco. 2. Quævis res ſecundum ſe habet reſpectum ad quandam partem immenſitatis divinæ, ergo ſecundum ſe jam alicubi eſt. 3. Si eſſem in ſpatiis imaginariis, poſſem demonſtrare digito mundum, & dicere, hic eſt, ergo mundus eſt in loco. 4. Quærenti, ubi ſit ſuus pileus, poſſum demonſtrando reſpondere, hic eſt ; absque eo, quod ulla mentem ſubeat cogitatio de diſtantia, aut angulo extrinſeco ; ergo idea loci non involvit ullam diſtantiam. 5. Quando concipio locum com...tem omnia, ſentio animo obverſari aliquod ſpatium indefinitum, quo comprehenduntur omnia ; ergo locus debet explicari per hoc ſpatium. 6. Quævis res ſecundum ſe non eſt ubique, ergo eſt in aliquo loco. 7. Si mea manus ſecundum ſe non eſſet in loco, tunc immediate poſſem contingere cœlum.

Reſp.

Resp. ad 1. d. in sensu accommodo. c. in sensu rigoroso. n. hoc axioma tantum in sensu accommodo evidens est; aliqua enim entia excipienda esse, constat ex eo, quod ipse locus in loco non sit. ad 2. n. a. quia in idea cujusque rei non obversatur menti hic respectus: accedit, quod immensitas Dei partes non habeat, sed sit ubique tota. ad. 3. n. suppositum, ibi dari nihilum, ubi datur spatium; quidquid enim obversatur menti, nihil non est. ad. 4. t. a. n. C. quia in hoc casu non quæritur locus pilei, sed pileus. ad. 5. n. a. quia locus in suo conceptu dicit diversitatem partium; Extensio autem indefinita non dicit diversitatem partium, sed est ubique tota; & hinc ista extensio aptius sustinet officium materiæ, unde emanant proprietates corporum, quàm loci. ad 6. c. a. n. C. quia potest esse nullibi; potest enim fieri, ut res nec cum omni angulo extrinseco, sed prorsus cum nullo unionem habeat. ad. 7. n. maj. quia contactus fieri non potest, nisi à re existente in loco.

Obj. 2. Cont. 2. & 3. Concl. posset Deus creare alium mundum à nostro mundo remotissimum, quin in intermedio necessariò existant anguli, ergo distantia duorum corporum non constituitur per angulos. 2. Si Deus inter cœlum & terram annihilaret intermedium aerem, adhuc relinqueretur distantia cœlorum à terra, & tamen non relinqueretur aggregatum angulorum. 3. Si omnes anguli continuativè identificantur in figura universi, tunc nulla superest angulorum & locorum diversitas; ergo per tales angulos non possunt explicari proprietates locorum. 4. si omnes anguli continuativè sunt idem, tunc per quemcunque motum localem, quo in eundem locum succedunt diversæ magnitudinis corpora, mutaretur figura totius universi; sed hoc est incredibile. 5. Si figura universi recepta in superficie cujusque corporis continet in se omnes figuras, tunc denominabit illa corpora rotunda simul, & quadrata, at hoc est impossibile.

Resp. ad 1. t. a. n. C. quia, si Deus vellet servare positivam distantiam inter utrosque mundos, deberet in utroque extremo ponere certos angulos distantiæ; possibile enim est, angulos distantiæ recipi in extremis, quin recipiantur in intermedio. ad 2. idem respondeo. ad 3. n. a. quia in continuis stat identitas cum diversitate, ut patet in coloribus & exemplo lucis tenebris continuativè unitæ: igitur anguli diversi sunt, sed ante divisionem mentis continuativè uniti sunt. ad. 4. d. mutaretur secundum quid. c. simpliciter. n. sicut enim anima potest per informationem aut ope-

operationem uniri diversis successivè partibus corporeis, ita etiam figura universi unitur in suis angulis diversis successivè corporibus; cumque hæc figura contineat diversos angulos, potest secundum quid mutari, quin mutetur; sicut enim mente possum separare unum angulum ab altero, aut unum respicere non respiciendo alterum; ita ordo rebus mobilibus impressus potest respicere unum angulum non respiciendo alterum; nam mundus realis & intellectualis intrinsecè non differunt. ad. 5. n. S. quia, ut dixi, ordo rebus corporeis impressus respicit unam partem figuræ universi, non respiciendo alteram; sicut enim continuum per abstractionem mentis divisibile est; ita extrinsecè dividitur per relationes reales, quæ intrinsecè non differunt à relationibus mentalibus,

Obj. 3. Cont. 5. Concl. quantitas rei est ipsum formale constitutivum loci, ergo res non potest existere in duplici loco, quin habeat duplicem quantitatem. pb. Ant. Extensio, expletio, occupatio loci, & quantitas fundant eundem conceptum, ergo. 2. duo cubi non videntur habere aliam distinctionem, nisi distinctionem ac separationem localem quantitatum, ergo ubicunque reperitur hæc quantitatis à seipsa separatio, reperitur etiam distinctio. 3. Ex tali replicatione sequuntur multa absurda; sic enim idem homo replicatus posset contra seipsum pugnare; in uno loco posset vivere, in altero mori, in uno calore, in altero loco frigore affici &c. Resp. ad 1. n. a. quia locus constituitur per aggregatum angulorum extrinsecorum; quantitas vero constituitur in vi intrinseca projiciendi certos angulos intrinsecos; & potest concipi magnitudo v. g. cubus, etiamsi non concipiatur ullus locus extrinsecus, de quo solo hic est quæstio. Ad 2. n. a. quia individuatio ac distinctio corporum tantum desumitur à stabili ordine rebus impresso, quo ordinatur res ad peculiares circumstantias, actiones, passiones &c. ad quas non ordinatur alia res. minimè verò repugnat eandem rem simul ordinari ad diversos angulos extrinsecos. ad 3. n. a. quia per replicationem tantum possunt multiplicari illi effectus, qui dependent ab angulis extrinsecis, ut locutio, & ambulatio; aut in quibus aliunde non ostenditur repugnantia; ut simul calore, & frigore affici: illi verò effectus & affectiones, à quibus dependet individuatio rei, multiplicari non possunt; hinc quia eadem anima non convenienter ordinari potest ad statum vitæ, & statum sepa-

paratum; impossibile est, ut idem homo in uno loco vivat, & in altero moriatur. Cæterùm à nobis sciri non potest; quas circumstantias aut affectiones juxta ordinationem Conditoris individuatio respiciat; hinc à priori determinari non potest, quinam effectus, aut quænam affectiones multiplicari possint per replicationem.

QUÆSTIO X.

Quænam sit idea Temporis?

Conclusio 1. Tempus distinguitur ab omni alia perfectione. pb. Concl. Idea v. g. Cubi nec involvit tempus præsens, nec præteritum, nec futurum, ergo tempus distinguitur à cubo, aut quavis alia re.

Corollarium. Hinc omnis perfectio est etiam indefinita quoad tempus; ita, ut Albedo, quæ jam extitit, & quæ nondum extitit, æterna, & temporanea intrinsecè non differant.

Conclusio 2. Tempus distinguitur à quacunque serie causarum & effectuum, aut motuum. pb. Concl. Quævis series causarum, aut motuum potest intelligi, quin intelligatur determinatum tempus, ergo distinguitur. pb. Ant. mille revolutiones solares, aut elementares possunt fieri intra unicum momentum, aut intra horam, aut intra diem &c. ergo quævis series causarum potest intelligi, quin intelligatur determinatum tempus. Ant. pb. potest Deus creare alium mundum, in quo mille periodi solares, & proportionaliter omnes reliquæ mutationes absolvantur intra unam horam nostri mundi, ergo.

Corollarium. Hinc sequitur. 1. Quamcunque seriem causarum de se nec longam nec brevem esse. 2. Vitam humanam, omnem prosperitatem, aut miseriam; ac denique totam hujus nostri mundi periodum, à principio usque ad finem, de se longiorem non esse momento unico. Quin nec momentaneam esse; sed esse tantum, non durare. 3. Quamcunque seriem causarum & effectuum alteri commensurabilem esse; adeoque intra motum horarium poterunt impii affici tanta tormentorum

rorum sibi invicem succedentium serie, qualis alioquin mille annis responderet.

Conclusio 3. Tempus nihil aliud est, quàm simultas duarum rerum ad diversam causarum seriem pertinentium. pb. Concl. Quando dico Christum esse natum anno mundi 4000, per hoc tempus nil aliud intelligo, quàm simultatem nativitatis Christi, & revolutionis solaris 4000. Ergò per hoc tempus intelligitur simultas duarum rerum ad diversam causarum seriem pertinentium; quia Nativitas pertinet ad seriem generationum, revolutio ad seriem motuum solarium. Idem sensus est, si dico, Petrum nunc hora prima ambulare; aut post centum annos venturam Eclipsin lunarem; connecto enim ambulationem Petri cum motu horario solis vel horologii; & umbram lunarum cum revolutione centesima solari aut elementari.

Conclusio 4. Tempus est Modus realiter distinctus à rebus existentibus in tempore. pb. Concl. Idea simultatis est distincta ab idea rerum simul existentium; ergo tempus est aliquid distinctum. pb. Ant. potest mihi obversari v. g. Nativitas Christi, & revolutio solaris 4000, quin mihi obversetur earum simultas, ergo idea simultatis est distincta.

Conclusio 5. Tempus est in se aliquid unum, indivisum, ac continuum, constans innumeris diversis partibus continuativè inter se unitis, expansum per omnia entia à principio usque ad finem. pb. Concl. In Idea temporis nunquam incipit novitas, & tamen reperitur diversitas, ergo est aliquod continuum, constans partibus diversis continuativè unitis. Quia mundus intellectualis & realis intrinsecè non differunt. pb. Ant. quando aliquamdiu considero motum solis, indicis, aut umbræ in horologio; non discerno inter minuta sibi invicem succedentia, & tamen hæc minuta seu instantia inter se diversa sunt, ergo. pb. Ant. quoad 2. m. Minutum sen instans temporis nihil aliud est, quam simultas, connexio, ordo, ac respectus omnium rerum in universo simul existentium; ergo necessario minuta inter se diversa sunt. pb. C. respectus ac ordines rerum ad invicem pro diversitate rerum respectarum diversi sunt, ergo & minuta. Ant. patet ab experientia mentis, qua sentio cognitiones, volitiones, ac ordinationes mentis pro diversitate objectorum inter se diversas esse. Conf. Coordinatio rerum est causa, cur Adam & Eva simul sint, Adam & Antichristus simul non sint; Ergo Minuta temporum seu Coordinationes rerum inter se diversa sunt.

Corolla-

Corollarium. Hinc 1. Tempus est accidens, cujus subjectum sunt omnia entia hujus universi; sicut etiam figura universi recipitur in omni corpore. 2. Tempus transit de subjecto in subjectum. 3. Tempus mutatur in seipso continuativè manens idem: & hæc mutatio est perpetua; quia perpetuo aliqua entia producuntur aut corrumpuntur. 4. Tempus se habet sicut figura universi; quia sicut præter figuram particularem partium, & compositorum datur figura totius universi, ita præter ordinem ac connexionem particularem partium datur ordo ac connexio omnium entium in universo; & hic ordo est ipsum tempus.

Corollarium 2. Tempus in se ac absolutè nec est præteritum, nec futurum; sed tantum respectivè ad illos homines, qui in serie revolutionum temporalium simul involvuntur; nam quamdiu hac serie involvimur, numeramus revolutiones causarum & effectuum in ordine ad nostram nativitatem; si verò extra mundum constituti essemus; possemus simul unico momento totam seriem hujus mundi tanquam præsentem contueri; daretur quidem ex parte objecti successio rerum transeuntium, sed cognitioni omnia forent præsentia, sicut si quis ex alta turri consideret ambulantes in via; simul enim videt, eos, qui antecedunt, & qui sequuntur.

Corollarium 3. In quacunque serie rerum sibi succedentium possunt duæ res esse tempore disiunctæ inter se, & tamen simul præsentes alicui enti tertio; quia hoc potest concipi: nec repugnat, integram seriem revolutionum temporalium alicui Intelligentiæ separatæ esse momentaneam; quia quivis effectus simul cum sua causa intelligi potest; adeoque etiam integra omnium effectuum ad suas causas successio uno momento intelligi potest.

Conclusio 6. Eadem res potest existere in duplici tempore, quin existat in tempore intermedio. Pb. Concl. potest idem cubus obversari menti ut coexistens cum, creatione mundi, & cœxistens cum conflagratione mundi quin obversetur ut coexistens cum Nativitate Christi, ergo potest etiam reipsa coexistere cum creatione, & conflagratione mundi, quin coexistat Nativitati Christi quia mundus realis, & intellectualis intrinsecè non differunt.

Corollarium. Hinc possunt eadem corpora resurgere per hoc solum, quod corpus nunc existens immediatè post hoc instans incipiat acquirere coexistentiam cum fine mundi, qui tamen finis in serie revolutionum temporalium non immediat sequitur post hoc præsens instans. An verò hanc actionem divinam, qua idem corpus in fine mundi rediturum est, velis vocare creationem, mihi perinde est.

Conclusio 7. Æternitas est infinitæ seriei causarum & effectuum intima præsentia. Ævum verò Intelligentiæ separatæ est totius serriei, quam

attingi

attingit, dum est intima præsentia. Pb. Concl. talis simultas intelligi & optari potest, ergo alicui enti possibiliter competit. Ant. patet, ex multorum votis, qui sibi præteritos annos, aut futuros adesse optant.

Corollarium. Hinc patet, quid sit alterius vitæ beatitas; est enim quieta ac secura omnium bonorum possessio; in hac vita multa desiderantur, quæ nondum habentur; & multa, quæ jam præterierunt, adhuc requiruntur; hæc temporum est lex, ut suis spatiis transeant universa; at solutis temporum legibus in altero mundo omnia nobis præsentia sunt, quæcunque nobis præsentia sunt: nulla ibi fit bonorum distrahente temporum diversitate divisio; series felicitatis nostræ manet æternum eadem series; nec incipit, nec desinit, sed tota semper sine principio & fine beatis oberrat mentibus. Simili proportionaliter modo de æterna infelicitate discurrendum est; est enim intima malorum præsentia; & est tantum; nunquam præterita, nunquam futura; & hoc, quod est, immutabiliter est, id est æternum est.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. quævis res in suo statu perseverat, nisi mutetur ab extrinseco; ergo datur duratio intrinseca. 2. Deus intrinsecè diuius durat, quam vermis, ergo datur duratio essentialis intrinseca. 3. Vna cognitio, aut volitio, aut revolutio solis est essentialiter prior alterâ, ergo datur tempus rebus intrinsecum, seu numerus successionum secundum prius & posterius. 4. Quævis res secundum se terminat actionem conservativam, ergo etiam secundum se habet durationem; quia conservatio est continuata per plura instantia productio. 5. Æternitas dicitur Deo competere intrinsece ac essentialiter; ergo etiam duratio. 6. tempus angelicum solet numerari per operationes successivas angelorum.

Respond. ad. 1. n. 2. perseverare enim est per plura instantia servari: ista autem plura instantia non involvuntur in idea cujusque rei. Ad. 2. d. Deus intrinsecè diutius durat per specialem perfectionem intrinsecam ab aliis perfectionibus diversam. c. aliter, n. Deus per suam æternitatem est intrinsecè præsens omnibus suis effectibus; sed creaturæ in sua idea non involvunt talem præsentiam. ad. 3. d. est prior natura. tempore. n. ut enim vidimus, ista prioritas causarum ad suos effectus non obstat, quia integra series comparata cum alia re extra illam seriem existente unico momento intelligi possit. Igitur prioritas rerum intra eandem seriem spectata tantum potest vocari prioritas naturæ. ad. 4. d. res secundum se terminat actio-

actionem conservativam, quæ est talis. qua talem. n. ut enim videbimus, eadem actio est rei productiva, & conservativa; res intrinsece tantum exigit actionem productivam; an verò illa actio duret per plura instantia, hoc rei perinde est. ad. 5. c. a. n. C. quia æternitas non est proprie duratio, sed præsentia sine principio, & fine. Hinc mundus relate ad Deum nunquam proprie incepit, sed est ab æterno; licet relate ad nos, ac simpliciter non sit ab æterno, sed inceperit ante aliquot annorum millia. Ad 6. tempus metaphysicum. t. physicum, de quo est quæstio. n. si enim successionem intrinsecam, ac prioritatem naturæ placet insignire nomine temporis metaphysici, non sum invitus.

Obj. 2. Cont. 3. & 4. Concl. potest dici, quod tempus extrinsecum consistat in motu solis mensurante omnia inferiora; ergo non est aliquid distinctum à rebus. pb. ant. tempus est numerus motuum secundum prius & posterius, ergo potest attribui motui solari. 2. potest dici, quod tempus realiter sit ipsa series effectuum; formaliter autem relatio rationis comparantis effectus adinvicem. 3. si tempus foret aliqua perfectio à rebus distincta, tunc posset tempus præteritum reproduci, sed hoc est impossibile, ergo. maj. patet, quia omnis alia perfectio potest denuò reproduci. min. pb. quia alias daretur potentia ad præteritum; tempus præteritum post reproductionem non foret præteritum; adeoque verum esset v. g. creationem mundi, promissiones divinas nunquam esse factas, quia non essent præteritæ. Resp. ad. 1. n. a. quia ipsa relatio revolutionum solarium aut elementarium ad alias res non est nihil; & hæc relatio est ipsum tempus; quod est numerus motuum ad diversam effectuum seriem pertinentium. Ad 2. n. a. quia relatio illa rationis non est nihil, adeoque potest poni à parte rei, & potest fieri relatio realis. Ad. 3. n. a. quia reproductio temporis fieri non potest, quin reproducatur prior status totius mundi; hic autem reproduci non potest ob naturam successionis, quæ in quavis serie intrinsecè involvitur; potest quidem integra effectuum series simul existere cum quocunque ente tertio extra illam seriem existente; sed hoc fieri non potest, ut id, quod in aliqua serie est primum, in eadem serie fiat ultimum; hoc enim non potest concipi; quia series in suo conceptu semper manet series. Hinc cessant reliqua absurda.

Dices: saltem durationes instantes. sibi essentialiter successivæ non dicunt repugnantiam, ergo tempus potest in illis consistere. Resp. n. a. quia non sunt conformes ideæ temporis continuæ; dein. si hæc instantia sunt omnino indivisibilia, non potest intelligi, quomodo ex illis non quantis constituatur quantitas temporis; si verò hæc instantia divisibilia sunt, ne-

cessario in ipsis instantibus admitti debet tempus continuum, nempe prius & posterius. Accedit, quod in hac hypothesi difficilius explicetur, quomodo interdum æquali tempore conficiantur ac commensurentur inæquales motuum series, v.g, motus aquilæ, & motus testitudinis; quod tamen in nostra sententia facile explicatur, dicendo, quascunque inæqnales motuum series quocunque tempore extrinseco comprehendi posse; quia respectus continuus simultatis æquè potest respicere ingentem seriem, ac parvam.

Obj. 3. Cont. 6. Concl. Res individuatur ab actione productiva & circumstantiis in quibus est, ergo non potest eadem res reproduci. Resp. t, a. n. C. quia potest eadem actio manere producentis, & si illa actio non respiciat tempus intermedium.

Obj. 4. Cont. 7. Concl. Deus esset æternus, etiamsi non existeret mundus, ergo æternitas non est præsentia omnium rerum. 2. si Deo omnia entia per totam æternitatem producenda forent intimè præsentia, tunc daretur infinitum Categorematicum, sed hoc repugnat. Resp. ad 1, d. a. foret æternus radicaliter. c. formaliter. n. vel. t. a. n. C, quia tunc Deus haberet in se ipso suipsius & omnium rerum possibilium præsentiam. ad. 2. n. maj. quia infinitum successivum manet successivum, etiamsi relate ad mentem divinam non sit successivum, cæterum infinitum successivum simul posse cognosci, aliunde suppono; si autem simul potest cognosci, poterit etiam coexistere. Aut si contendas hoc infinitum fore categorematicum, non repugno; fateor tamen me huius infiniti non habere ideam; adeoque ejus proprietates, possibilitatem, aut impossibilitatem mihi incognitam esse. infinitum syncategorematicum cognosci & affirmari potest; de hoc solo agit conclusio.

QUÆSTIO. XI.

Quænam sit Idea Actionis?

Conclusio 1. Actio nihil aliud est, quam Ordo unius perfectionis ad aliam:

Pb. Concl. In mundo intellectuali cujusvis objecti productio nihil aliud est, quàm idearum simplicium ad invicem coordinatio, ergo tiam in mundo reali Actio nihil aliud est, quàm perfectionum simplicium ad invicem ordinatio seu ordo. Ant. pb. quando volo, ut, v. g. Murus albus

albus fit objectum mentis meæ, tunc conjungo ideam talis extensionis cum idea albedinis, & hæc albedinis cum extensione coordinatio est ipsa muri albi intellectualis productio, ergo.

Pb. 2. Quævis actio aut est creatio, aut generatio, aut alteratio, aut augmentatio, aut localis motio: sed quælibet harum nihil aliud est, nisi ordo unius perfectionis ad aliam, ergo. min. pb. ab enumeratione infra facieda.

Pb. 3. Ordo est formalis perfectionum inter se, & causarum cum effectibus connexio, ergo necessario est actio.

Conclusio 2. Creatio est præcise Ordo stabilis divinæ voluntatis cum complexo perfectionum simplicium ordinatarum ad invicem. Pb. Concl. Quando primo Mens vult, ut aliquot suæ ideæ simplices habeant ordinem inter se, non volendo, ut habeant ordinem cum reliquo infinito cumulo suarum perfectionum, tunc eoipso voluntas divina habet ordinem ad complexum talium idearum simplicium, & eoipso ideæ habent ordinem inter se & cum divina voluntate, non habendo ordinem cum cumulo infinito perfectionum: Ergo talis perfectionum coordinatio est reipsa compositi idealis finiti à cumulo infinito perfectionum distinctio, ac proin ejusdem à statu intellectuali ad statum realem translatio, & è nihilo productio, seu creatio.

Corollarium. Hinc patet, quàm facilis sit creatio Primæ Menti, quæ est cumulus infinitus perfectionum, comprehendens in se omnes Ideas possibiles. Intelligit mundum, ideas ad invicem coordinando; & creat mundum, coordinatas ideas cum cumulo infinito perfectionum non coordinando; creat igitur simul intelligendo & volendo, quia ordo idearum ad invicem sine coordinante voluntate, & mente intelligente intelligi non potest.

Corollarium 2. Deo in creatione nildecedit; cum enim ideæ indefinitæ sint, possunt simul esse in statu intellectuali, & non esse in statu intellectuali, sed reali; possunt habere unionem ac ordinem cum cumulo infinito perfectionum, & simul nonhabere quia nempe indefinitæ sunt; nec una res, nec multiplex; sed res ad status contradictorios indifferens.

Corollarium 3. Patet, quàm ridicula sint hominum molimina; desudant per annos, & lustra, ut creent tenuem placituram sensibus umbram; & peritura brevi vigilantum somnia. Præstat ab hoc laboris improbi pleno furore quiescere, & exspectare omnipotentem.

Conclusio 3. Generatio est Ordo perfectionis subntialis ad no-

vum aliquod subjectum. pb. Concl. Generatio nihil aliud est , quàm introductio novæ formæ substantialis in subjectum , sed hæc introductio nihil aliud est , quàm Ordo perfectionis substantialis ad novum subjectum , ergo, min. pb. posito hoc ordine est impossibile ut forma ignis v. g. nunc existens in igne non incipiat uniri materiæ ligni, & in ea acquirere existentiam ; ergo introductio nihil aliud est.

Corollarium. Hinc in generatione substantiali nec materia fit , nec existentia , nec forma ; sed compositum : quia nempe forma , secundum se indefinita , ingenerabilis , æterna , & sub alia individuatione præexistens tantum incipit uniri novo subjecto, in quo acquirit novam existentiam per novam individuationem.

Conclusio 4. Alteratio est Ordo perfectionis accidentalis ad novum aliquod subjectum. Pb. Concl. Alteratio est introductio novæ formæ accidentalis in subjectum , ergo , sicut prius , nihil aliud est, quam ordo perfectionis indefinitæ ad novum subjectum.

Conclusio 5. Augmentatio est Ordo continuus ad novos angulos intrinsecos. Pb. Concl. res dicitur magna vel parva , quod obtendat magnum vel parvum angulum intrinsecum , ergo mutatio magnitudinis nihil aliud est , quam Ordo ad novos angulos.

Conclusio 6. Motio Localis est Ordo continuus ad novum aggregatum angulorum extrinsecorum. Pb. res dicitur esse in loco , quod sit sub certo aggregato angulorum extrinsecorum , ergo transfertur de loco in locum per ordinem ad novum aggregatum angulorum extrinsecorum. Conf. in mundo intellectuali in motu locali nihil mihi sentio obversari , nisi Ordinem perpetuum ad novum aggregatum angulorum, ergo in mundo reali nil aliud concurrit ad modum localem.

Conclusio 7. Actio est modus realiter distinctus à causa , effectu , dispositionibus &c. Pb. Concl. Idea Ordinis non involvitur in Idea earum rerum, quo coordinantur ad invicem , Ergo Ordo seu Actio est modus realiter distinctus. Pb. ant. potest mihi obversari Ignis A, & Ignis B , quin mihi obversetur earum ordo ad invicem , ergo.

Conclusio 8. Actio, Activitas, & Relatio mutua inter causam & effectum ; sunt una eademque res. Pb. Concl. Ordo causæ ad effectum est idem ante momentum productionis , in momento productionis , & post momentum productionis ; Ergo Activitas , Actio , & exinde consequens Relatio idem sunt. C. patet , quia Ordo causæ ad effectum ante momentum productionis potest vocari Actio-

Actionem ; in momento productionis poteſt vocari actio ; poſt momentum productionis poteſt vocari relatio. Ant. pb. Author naturæ ordinat cauſam ad ſuum effectum ante momentum productionis, in momento productionis, & poſt momentum productionis ; Ergo Ordo cauſis impreſſus reſpicit effectum pro tempore futuro, præſenti, & præterito, C. patet, quia mundus realis intrinſecè non differt ab intellectuali ; igitur quod in mundo intellectuali eſt ordinatio, hoc in mundo reali eſt ordo ; & ſicut eſt eadem ordinatio cauſæ ad effectum ante ejus productionem, in productione & poſt productionem, ita etiam eſt idem ordo.

Corollariumi Hinc Relatio creaturæ ad Deum eſt nihil aliud, quàm Ordo creaturæ ad voluntatem creantis ; & Relatio Dei ad creaturam eſt ordo voluntatis creantis ad creaturam ; realiter hic ordo eſt in Deo, & in creatura ; in ſe quidem indiviſus & indefinitus, ſed diviſus extrinſecè per duo ſubjecta interſe diſtincta. Jdem dicendum de relationibus aliarum cauſarum ad ſuos effectus.

Corollarium 2. Cauſa verè poteſt & debet dici activa, quæ habet ſibi impreſſum talem ordinem ad effectum ; eſt enim impoſſibile, ut non ſequatur effectus poſito tali ordine, & quidem vitalis ordinis ; quia ordo eſt ipſa perfectionum ſimplicium conjunctio pro tempore, pro quo eſt conjunctio.

Concluſio. 9. Ordo mundi corporei eſt in ſe unus ac continuus, ſed extrinſecè diviſus pro diverſitate ſubjectorum. Pb. Concl. In mente primi ordinantis ordinatio omnium cauſarum ad unum finem ultimus eſt in ſe una ac continua, ergo etiam Ordo totius mundi corporei eſt in ſe unus ac continuus ; Quia non eſt alia eſſentia in Mundo reali, & alia in mundo intellectuali, Ant. pb. Eadem eſt intentio finis, & omnium mediorum ad finem, ergo etiam ordo omnium mediorum ad finem eſt in ſe unus ac continuus. Pb. Ant. ipſiſſima intentio finis fertur ad omnia media, ergo intentio finis eſt intentio mediorum. Ant. Pb. tota ratio eligendi media eſt intentio finis, ergo intentio finis eſt intentio mediorum. Pb. 2. Deus non imprimit cauſis ordinem ad ſuos effectus, quin ſimul hos effectus ordinet ad alium finem, ergo ordo eſt continuus.

Corollarium 1. Hinc patet, Ordinem ſolùm emanari ab ente intelligente ſeu Intellectu univerſali ; hunc Ordinem diffundi per omnia creata, ut ſit vita, activitas, & actio totius mundi corporei ; & licet Deus mediante Ordine omnia à ſe emanet, retrahit tamen & reſorbet omnia ad ſeipſum

ipſum mediante eodem ordine ; quia ipſe eſt principium & finis ordinis.

Corollarium 2. Non eſt quærenda cauſa Ordinis ſeu Actionis ; quia Eſſentia totius Ordinis eſt à prima mente , poſtquam verò per entia creata diffundi cœpit, progreditur ſe ſolo ob ſuam continuitatem , licet exiſtentiam & individuationem accipiat finem, nempe ad obtinendam victoriam. 3. Quælibet cauſa producere quemcumque effectum poteſt ; quia inter quaſcunque duas perfectiones poteſt intelligi aliquis ordo , & connexio in ordine ad aliquod ſubjectum. 4. Hinc accidens poteſt producere ſubſtantiam, ſi Deus ita voluit, aut vult. 5. Cum tamen omnis Ordo ſit inter duo entia , nequit dari ordo creatus ad non ens ; & ideo cauſa creata non poteſt aſſumi ad creationem. 6. Sicut ad obtinendum finem poſſunt ordinari media, ex quibus dein ultro ſine nova ordinatione conſequitur finis ; ita dantur cauſæ inſtrumentales , quædum operantur effectum ſuum , cauſa principalis dein ultrò inducit effectum principalem ; ſic enim , dum culter ſecat, quæ ſectio eſt effectus cultri , artifex inducit formam ſtatuæ.

7. Non eſt aliud diſcrimen inter Actionem naturalem & ſupernaturalem, niſi quod illa ſit juxta curſum ordinarium naturæ ; hæc autem non ſit juxta curſum ac providentiam ordinariam : Aut quia forte tendit ad effectum nobiliorem, non comprehenſum in decreto & ordinatione hujus mundi.

8. Nulli cauſæ ex ſuis prædicatis ac perfectionibus intrinſecis debetur illa vis, quam habet ; ſed illi convenit ex ar bitrio divino ; quoniam Deus voluit talem Ordinem cum tali cauſa ſub eadem exiſtentia inſeparabiliter identificare ; aut ſeparabiliter conjungere.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Contra priores 7. Concl. Poteſt dici , quod Activitas cauſæ conſiſtat in certa aliqua intrinſeca exigentia effectus , quæ poſitis diſpoſitionibus exeat in actum.

2. Poteſt inter duas res intercedere ordo v. g. loci aut dignitatis, quia intercedat cauſalitas , ergo Actio non eſt qualiſcunque Ordo.

3. Si actio foret ens diſtinctum, tunc deberet dari cauſa hujus actionis, & determinativum, quo poſito, non poſſit non ſequi actio ; at ſi hoc requiritur , tunc ſuperflua eſt actio, ergo. min. pb. poteſt dici, quod hoc determinativum æquè ſufficiat ad producendum immediatè effectum , ſicut ſufficiat ad producendam immediate actionem. Hæc objectio poteſt etiam applicari ad reliquos modos, v. g. ad ubicationem ; ſi enim lapis aliunde habet

bet determinativum ad hanc ubicationem , tunc jam est determinatus ad certum locum , nec indiget ubicatione ; si verò aliunde non habet determinativum ad hanc ubicationem , tunc non est ratio , cur resultet potius hæc ubicatio, quàm alia.

Resp. ad 1. n. a. Quia exigentia est actus mentis, qui nil imprimit suo objecto sibi simile ; sicut ordinatio , quæ rebus ordinatis imprimit ordinem. Si verò per hanc exigentiam intelligis ordinem causæ ad effectum; bene sentis, sed male loqueris: quia veritas tam obscuris metaphoris turbanda non est. Ad 2. t. a. C. totum: quia Ordo causarum est Ordo existendi, ita ut unum sit prius in existendo, aut certè, ut unum sit ratio & motivum, alteri rei tribuendi existentiam. Ordo loci dicit tantum ordinem angulorum extrinsecorum , & horum angulorum causalitas est ordo. Ad 3. d. deberet dari causa actionis efficiens. c. determinativa. n. essentia enim actionis recipit existentiam & individuationem à subjecto , in quo ponitur ; sed non requirit ullum determinativum ad hoc, ut sit in hoc subjecto; quia, ut diximus, ordo universi est in se continuus, & expanditur ex ordinatione primi ordinantis per omnia subjecta. Igitur ordo sequitur ordinem , quia est talis ordo, nec indiget alio determinativo : & hinc, quia Relationes Loci & temporis tantum sunt certi ordines, non indigent alio determinativo ; sed tantum prærequiruntur eæ circumstantiæ , dispositiones , ac conditiones in quibus Deus voluit talem ordinem imprimere. Verum quidem est , quod tales circumstantiæ in hac providentia , respectu nostrùm , & consequenter ad ordinationem divinam non sint amplius indifferentes ad alium effectum; manent tamen semper indifferentes secundum se , quia intelligi possunt sine ordine ad talem effectum.

Obj, 2. Si Actio est tantum Ordo, tunc in Universo nec datur motus, nec mutatio , sed hoc est apertè falsum, ergo pb. maj. Integra series rerum ordinatarum potest intelligi simul ; ita ut ordo tantùm sit semper , & nunquam fiat ; etiamsi respectu nostrûm una pars seriei nobis obversetur post aliam; & dum numeramus minimas portiones seriei infinitæ , tempus protrahi , & eventus exspectati adhuc remotissimi videantur. 2. Si Actio est tantùm ordo ; tunc creatio non est simpliciter tam è nihilo sui, quàm è nihilo subjecti productio ; sed tantùm perfectionis præexistentis ab no statu in alium translatio, aut divisio ; ergo creatio non foret creatio. 3. Si Actio est tantum ordo præexistentis perfectionis ad novum subjectum , tunc ignis v. g. non est simpliciter causa ignis, nec simile producitur à simili; sed, ergo maj. pb. ignis nec produceret materiam novi ignis , nec formam , nec existentiam, ergo non esset simpliciter causa ignis. 4. Si actio est ordo perfectionis præexistentis ad novum subjectum, tunc non est eductio formæ è

potentia materiæ; sed est talis eductio. ergo. min. pb. quia forma sphæræ educitur è potentia ligni. 5. Si omnis actio est Ordo causæ ad effectum; non potest explicari, quænam causa sit suo effectu prior tempore, & quæ non sit prior tempore, sed naturâ; sic enim Pater est prior tempore ad filium; sol non est prior tempore ad lucem, sed est prior natura: quid igitur est hæc prioritas temporis, & naturæ? 6. Non potest ostendi, cur activitas v. g ignis ad effectum immanentem, nempe calorem, sit igni essentialis; econtra activitas ad extra, nempe ad producendum alium ignem, aut diffundendum calorem non sit igni essentialis.

Resp. ad 1. n. maj. ad pb. d. integra series potest intelligi simul ab ente intelligente, quod est extra illam seriem, t. ab ente intelligente, quod est intra seriem. n. nam ordo dicit prius & posterius, igitur ubi ordo est, ibi datur successio, saltem respectiva, aut si contendas, ordinem simul comprehendere ordinata, quæcunque per ordinem ordinata sunt; dic, à nobis hominibus motum & mutationem vocari continuum progressum ordinis; per voces enim significantur res, quæ nobis obversantur, & quidem eo modo, quo obversantur. ad 2. n. maj. quia creatio non est simplicium, sed compositorum, & ipsa simplicia individualia non præextiterunt, sed simpliciter fuerunt concreata cum existentia; quia in statu creato simpliciter fuerunt nihil; nec unquam vera est hæc propositio: hæc albedo fuit ab æterno in Deo: sed tantum verum est; Albedo ab æterno fuit in Deo, seu formaliter demptis imperfectionibus, seu eminentialiter. ad 3. n. maj. quia ignis est aliquod compositum, & compositum verè fit; licet nec materia fiat, nec igneitas seu forma ignis; ignis proin est causa ignis in *fieri*; licet non sit causa ignis in *Esse*; ignis enim est causa, ut igneitas fiat in hoc subjecto, & per hoc est causa in fieri; sed ignis non est causa, ut fiat & producatur igneitas, alioquin produceret seipsum; & ob hoc non est causa in Esse. ad 4. n. maj. quia forma accipit existentiam, ordinem, & individuationem à materia, & per hoc dicitur educi è potentia materiæ. ad 5. n. maj. quia natura prior dicitur illa causa, quæ est ratio & motivum tribuendi existentiam effectui; licet quoad executionem simul tempore accipiant tam causa quam effectus existentiam; simultas enim temporis non impedit, quin reverà effectus accipiat existentiam ob causam. Sicut enim in mundo intellectuali unum est propter aliud; ita in mundo reali unum est per aliud, etiamsi unum & alterum simul sint. ad 6. n. maj. quia potest dici, quod ordo ad effectum immanentem sit inseparabiliter identificatus cum re; ordo autem ad effectum extrinsecum sit identificatus cum accidentibus rei; quia mediantibus accidentibus res ordinatur ad effectum extrinsecum.

Obj 3.

Obj. 3. Si Actio productiva nihil aliud eſt, quam ordo unius rei ad aliam, tunc cauſa, v. g. exiſtens in Europa, poterit producere effectum in India, ſed hoc eſt falſum, ergo min. patet, quia naturaliter ſemper requiritur propinqua applicatio cauſæ, nec datur actio in diſtans ſine diffuſione alicujus virtutis in intermedio. maj. pb. ordo poteſt ſe etiam naturaliter extendere ad loca remotiſſima, ergo. 2. Si actio eſt ſolùm ordo, tunc non requiritur ut cauſa præcontineat perfectiones ſui effectus; ſed hoc eſt falſum, ergo min. pb. quia nemo dat, quod non habet. 3. Si Actio eſt tantum ordo, tunc ex qualibet cauſa poterit naturaliter produci quivis effectus, ſed hoc eſt falſum, ergo maj. pb. à quacunque cauſa poterit alteri ſubjecto imprimi ordo ad quamcunque formam, ergo. 4. Si Actio nihil aliud eſt, quàm ordo, tunc poſſunt defendi omnes ſuperſtitiones, & evertuntur omnia miracula, ſed, ergo maj. pb. ſemper poſſet dici, cauſæ, utut alioquin improportionatæ, impreſſum eſſe ordinem ad effectum tam mirabilem, ergo.

Reſp. ad 1. n. maj. Si objectio loquatur de potentia naturali; quia conſtat, Deum in hac providentia mundum ita ordinaſſe, ut inter cauſam & effectum requiratur certa diſtantia, licet ea abſolutè non requireretur: placuit enim Deo, omnia ordinare ſecundum certas proportiones angulorum. Ad 2. d. non requiritur, ut cauſa inſtrumentalis præcontineat perfectiones ſui effectus. c. principalis. n. licet enim cauſa inſtrumentalis imprimat materiæ ordinem ad formam, quam ipſa cauſa inſtrumentalis non habet; requiritur tamen, ut illa forma communicetur materiæ per aliam cauſam univerſalem principalem, quæ ſuppleat defectum cauſarum particularium: quanquam dici poſſet, nullam formam produci ſine cauſa principali particulari, etiamſi non exiſtat amplius; quia non repugnat cauſam producere ſuum effectum, eo tempore, quo non amplius exiſtit cauſa; modo exiſtat virtus cauſæ, ſeu ordo ad effectum. ad 3. n. a. Si ſermo ſit de potentia naturali, quia conſtat Deum mundum ita ordinaſſe, ut inter cauſam & effectum intercedat proportio, licet potuerit aliter ordinare. ad 4. n. maj. quia conſtat, Deum inter cauſam & effectum ordinaſſe proportionem, circumſtantias, ac conditiones: igitur ſi fiunt eventus & effectus mirabiles, quorum cauſæ alioquin in ſimilibus circumſtanciis non producunt ſimiles effectus, ſignum eſt, hos effectus fieri virtute extraordinaria, quam Deus non præſumitur creaturis contuliſſe ſine motivo extraordinario ſuæ ſapientiæ congruo; hoc verò aliud non eſſe, niſi ad manifeſtandam omnipotentiam, & veracitatem ſuam, aut ad commendandas virtutes; ratio cuivis dictat: maximè cùm aliunde conveniens ſit, ut Deus nobis certis ſignis diſtinguat cultum ſibi placitum à cul-

tu erroneo; nec homini alia signa manifestiora sint, præter miracula; pronum est judicare, has miras operationes à Deo in mundo alio fine non fieri.

QUÆSTIO XII.

Quænam sit Idea Actionis Liberæ?

CONclusio 1. Actio libera est appetitus boni per ordinem ad medium, quod non est ipsum bonum. pb. Concl. In omni actione libera nihil experimentaliter sentio menti obversari, nisi appetitum boni, quod ex electione alicujus rei me consequi spero; ergo in actione libera nil aliud intercedit, quàm appetitus boni cum ordine ad particulare medium. Ant. patet ab experientia: sic enim eligo ambulationem, aut medicinam, quia exinde spero sanitatem; & sanitatem eligo, quia exinde spero voluptatem, ac voluptatem ideo eligo, quia exinde habeo statum illum mentis, qui appetitur propter se, aut certè est simulacrum beatitatis, quæ appetitur propter se. Igitur omnis electio est appetitus boni per ordinem ad hoc vel illud medium.

Conclusio 2. Appetitus boni non est nobis liber, sed est à natura, & à primo ordinante. pb. Concl. Appetitus boni est ordo mentis ad suum finem, ergò necessario est à primo ordinante naturæ impressus. Ant. patet, quia appetitus quiescit in bono tanquam fine & termino, ergo mens non ordinatur, nec agitur ad alium finem, nisi ad fruitionem boni ut sic, quod alii vocant bonum universale, seu bonum indefinitum, seu potius ipsam bonitatem, ac essentiam boni. C. pb. quia nulla natura e nihilo producitur, nisi ordinetur ad suum finem: &, omne, quod ab alio ordinari ad finem potest, à seipso non ordinatur; adeoque illum ordinem, quem potest habere ab alio, necessariò habet ab alio.

Conclusio 3. Ordo rationalis appetitus ad medium ac bonum particulare efficienter ac causaliter est à Deo & mente. pb. Concl. Ordo ille recipit existentiam à Deo, & à mente; ergo efficienter ac causaliter est à Deo & mente. Ant. patet; quia existentia realiter distincta à quavis essentia accidentibus tribuitur à subjecto & à Deo per continuam actionem creativam ac conservativam.

Conclu-

Conclusio 4. Ordo rationalis appetitus ad bonum particulare formaliter ac specificè non est à Deo. pb. Concl. Ordo, qui potest referri ad finem ultimum, & non referri, non est à Deo; sed ordo rationalis appetitus potest referri ad finem ultimum, & non referri, ergo min. patet, quia ordo rationalis appetitus ad bonum particulare est defectibilis à fine ultimo, ita ut aliquando ne quidem possit habere continuationem, connexionem, ac subordinationem ad finem ultimum. maj pb. Est impossibile, ut Deus aliquid ordinet, nisi id continua serie ordinet ad finem ultimum, ergo ordo, qui potest referri ad finem ultimum, & non referri, non est à Deo. Ant. patet, quia est impossibile, ut Deus operetur sine suo motivo & fine, qui est ipse Deus: Igitur non potest intelligi ulla divina ordinatio, quin sit ordinatio rei ad seipsum; adeoque nequit dari ordo divinus, quin ex seipso sit verus ordo, ex se continuative ac continua serie attingens finem, nec potest intelligi ulla determinatio ordinis divina, nisi eatenus verè ordinetur ad finem ultimum, quatenus est divina; quia Deus nec aberrat, nec deficit unquam à fine ultimo, sed exit à seipso operando, & reducit omnia ad se ordinando.

Pb. 2. Determinatio voluntatis increatæ est suiipsius prima ordinatio ad objectum particulare, est suiipsius formale determinativum, estque formale sublativum suæ propriæ indifferentiæ; Ergo etiam determinatio voluntatis creatæ est suiipsius prima ordinatio ad objectum particulare &c. Ant. patet; quia si quæratur, cur in Deo detur volitio libera Muscæ, quæ potuit non dari; alia causa determinativa afferri non potest, nisi ipsa volitio muscæ; & parum interest, sive hæc volitio sit aliquid identificatum cum Deo, sive identificetur cum complementis extrinsecis; semper enim volitio manebit suiipsius formale determinativum, & si quæratur, cur hæc volitio talis sit? Aliud responderi non poterit, nisi hoc, quod ideo talis sit, quia talis est. Necessariò enim datur aliquod primum contingens, quod eoipso, quod sit primum contingens, suiipsius determinativum esse debet: cùmque in toto cumulo perfectionum possibilium non reperiatur alia perfectio contingens, nisi ordo & ordinatio rationis, quæ est causa rerum omnium, necesse est, ordinationem rationis ex suo genere à seipsa formaliter, ac sui ipsius determinativum esse. pb. proin C. Voluntas creata & voluntas increata intrinsecè non differunt; & determinatio voluntatis increatæ non differt intrinsecè à determinatione voluntatis creatæ ratione status creati aut increati; Ergo si determinatio voluntatis increatæ est suiipsius determinativum; etiam determinatio voluntatis creatæ erit suiipsius determinativum. Ant. pb. quia juxta nos creatum & increatum tantum differt, sicut limitatum & illimitatum, nec creatio aut status creatus mutat essentias rerum, sed eas relinquit immutatas;

tatas; igitur si ordinatio rationis in statu indefinito potest esse suiipsius determinatio, erit etiam suiipsius determinatio in statu limitato.

Conf, non repugnat ordinatio rationis, quæ sit suiipsius determinatio, abstrahendo à statu creato vel increato; Ergo eoipso est possibilis talis ordinatio in statu creato. Ant. pb. potest talis ordinatio se sola concipi; ergo eoipso potest concipi abstrahendo à statu illimitato aut limitato. Ant. patet, quia revera potest concipi primum contingens, quod non potest esse aliud, nisi ordinatio rationis.

Pb. 3. Actio libera est intrinlecè, formaliter, ac per suam essentiam suiipsius ordinatio, ac suiipsius determinatio: Ergo est impossibile, ut essentia actionis liberæ sit talis per ordinationem, ac determinationem extrinsecam. Ant. patet à propriæ mentis experientia; cum enim volitio intimè per seipsam menti obversetur, non potest esse ignota menti; manifestum autem est, quod homo sentiat se à seipso determinari, & determinationem suam esse reverà activam determinationem; & ordinationem sui appetitus esse revera activam ordinationem, experimentaliter diversam à quocunque ordine ordinato, aut passione. C. pb. Id, quod est essentialiter ordinatio, non potest determinari per aliam ordinationem, ut sit ordinatio, ergo essentia actionis liberæ non est talis per aliam ordinationem; sicut albedo non potest per aliam albedinem determinari ad rationem albedinis.

Pb. 4. Actio libera est tantùm actio, & non est passio; ergo non est determinata ab alio. Ant. pb. actio libera alio modo obversatur, quàm omnis alia actio, quæ est simul passio, ergo.

Pb. 5. Actio libera tantum differt ab actione necessaria, quantum potest differre; sed potest differre per hoc, quod sit essentialis suiipsius determinatio, ergo min. pb. non repugnat essentialis respectus rationis ad hoc objectum, hoc motivum, has circumstantias; ergo positis his circumstantiis, motivo, & objecto non est opus alio determinante.

Pb. 6. Quod est antecedens, inimpedibile, & essentialiter inferens hunc determinatè actum, tollit libertatem actus; sed omnis aliena determinatio est antecedens, inimpedibilis, essentialiter inferens hunc determinatè actum, ergo maj. pb. quod est antecedens &c. tollit omnem ulteriorem indifferentiam actûs, ergo tollit libertatem. C. patet, quia si tollit indifferentiam, tollit etiam ulteriorem determinationem; adeoque tollit eam determinationem actui intrinsecam experimentaliter notam; & proin libertatem. Ant. pb. Quod est antecedens, inimpedibile, & essentialiter inferens hunc determinate actum, jam vi sua ponit essentiam & speciem actus; ergo tollit indifferentiam actus, quia essentia actus tollit suam propriam indifferentiam; respectu cujuscunque potentiæ; postquam enim actus cessat esse indifferens

respectu

respectu causæ principalis, cessat etiam esse indifferens respectu cujuscunque causæ subordinatæ; determinatio enim actui est intrinseca.

Corollarium. Hinc determinatio seu Ordo rationalis appetitus ad bonum particulare formaliter est à seipso: est talis, quia est talis, & quia est essentialis respectus ad hoc objectum, motivum &c. necessariò his positis ponitur efficienter; necessitate scilicet consequente suam intrinsecam determinationem, non antecedente.

Conclusio 5. Actio libera infallibiliter sequitur actum primum proximum sibi congruum. pb. Concl. Ad quemvis actum primum proximum in statu ideali datur aliquis respectus essentialis intrinsecè à seipso determinatus ad hunc actum primum proximum, ergo respectus hic infallibiliter sequitur suum actum primum proximum etiam in statu reali.

Corollarium. Hinc, quia ad quamvis determinationem voluntatis possunt præcedere infiniti actus primi proximi, possunt etiam intelligi infinitæ determinationes possibiles; sed quia hæc est natura contingentium, ut in infinitis circumstantiis non operentur uniformiter; est impossibile, ut ad infinitos actus primos proximos diversos possibiles correspondeat uniformis determinatio voluntatis: Hinc Deus, qui potest pro libitu suo ponere quemcunque actum primum proximum sibi placitum, poterit etiam obtinere quamcunque determinationem voluntatis, quam vult. Sicut tamen in aliis contingentibus effectus plerumque sequitur, quando major in causa dispositio aut inclinatio; ita in voluntate plerumque sequitur ea determinatio, ad quam actus primus proximus pronior: & hujus non potest dari alia ratio, nisi quia hocipsum ita contingit; contingens est, cujus non est alia causa, nisi contingentia.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. non sentimus in omni actione libera appetitum boni ut sic, ergo non omnis actio libera est appetitus boni. pb. ant. dum volo ambulare, nil sentio me velle, nisi ambulationem. ergo 2. non potest dici, quid sit istud bonum ut sic, quod appetam, ergo. 3. Vita non est ipsum bonum, sed medium sine quo non; & tamen appetitur necessariò; ergo non omne medium, quod non est ipsum bonum, appetitur libere. 4. potest dici, quod actio libera sit omnis volitio, quæ est libera à coactione, etsi non sit libera à necessitate; ergo. 5. potest dici, quod actio libera sit, quæ procedit à potentia activa ex sua natura non determinata ad unum, ergo. 6. potest dici, quod actio libera sit actio mentis cum illo speciali modo sibi intrinseco, quem vocamus modum libertatis, experimentaliter

taliter noto. ergo. 7. poteſt dici, quod actio libera ſit determinatio voluntatis reſpectiva ad præcedens judicium indifferens, ergo. 8. poteſt dici, quod actio libera ſit permiſſio determinationis divinæ in voluntate, ergo.

Reſp. ad 1. n. a, ad. pb, n. a. *Quia* licet reflexè non diſcernas finem ambulationis ab ambulatione, directè tamen eum diſcernis; ſi enim quæram, cur ambulaveris, non dices, ſine ullo fine te ambulaſſe, ſed aut amici gratia, aut fallendi temporis & allevandi tædii, aut ſanitatis cauſa; & ſic intentio finis aut habitualiter, aut virtualiter, aut exercitè actu in omni actione libera dominatur; & omnium finium finis ac motivum ultimum eſt exercitè completa felicitas, quia ſentimus nos bonum appetere, ob hoc ſolum, quia bonum eſt; adeoque bonitas objecti nos movet, non objectum ipſum. Ad 2. n. a. & dico, quod bonum ut ſic ſit quæcunque bonitas ſeu perfectio nobis congrua ſumpta modo indefinito; ſummum enim bonum eſt cumulus omnium perfectionum; & quælibet perfectio ſumpta ſine limitatione, & ſine imperfectione, jam eſt ipſa bonitas, etſi nondum adæquate & intuitivè cognita; mirum proin non eſt, ſi quævis objecti ratione ſui appetibilis perfectio in intellectu abſtrahente fiat bonitas indefinita, ſeu bonum ut ſic, & objectum rationalis appetitus; licet in his aut illis circumſtantiis non ducat ad verum bonum reverà infinitum. ad 3. c. a. & G. dico, deſcriptionem actionis liberæ eſſe univerſalem in ſenſu accommodo; convenire omni, ſed non ſoli. ad 4. n. a. quia circa finem non inſtituitur deliberatio, nec electio; ſed circa media, & tamen ad volitionem finis non cogimur. Igitur in iis actionibus, quas vocamus liberas, non tantum deeſt coactio, ſed etiam neceſſitas, quia datur ad utrumque indifferentia, ut experimentaliter notum eſt. ad 5. n. a. quia ad actionem liberam nulla omnino concurrere debet determinatio, nec naturæ, nec authoris naturæ, ut oſtenſum eſt. Dein forte etiam potentia activa v. g. ignis ex ſua natura non eſt determinata ad omnes ſuos fines particulares, & tamen non eſt potentia libera, ſaltem experimentaliter habeamus aliam notionem libertatis. ad 6. n. a. ſi per modum libertatis intelligatur alius modus, quàm determinatio propriæ indifferentiæ; quam oſtendi ſubſiſtere non poſſe, ſi pro priori naturæ illa indifferentia per aliam determinationem extrinſecam jam ſublata eſt, nec refert, an illa determinatiò reſpiciat potentiam, an actionem; quia indifferentia illa, in cujus exercitio experimentaliter noto verſatur modus libertatis, per talem determinationem tollitur. ad 7. n. a. quia experimentaliter notum eſt, præter indifferentiam judicii dari aliam indifferentiam voluntatis; & determinatio hujus indifferentiæ experimentali notitia eſt nobis propria, adeoque non eſt ab extrinſeco; quia alioquin nulla nobis relinqueretur indifferentia, experimentaliter nota. ad 8. n. a. quia determi-

natio

natio nostræ voluntatis nobis experimentaliter nota non est nuda permissio, non est negatio, non est nihil; & illa determinatio non est alterius, non est in nobis tantùm passio, alioquin nos falleret propria experientia. Dein, si nuda permissio constituit nostram libertatem, quid impedit, quo minus sentiamus nudam permissionem, aut saltem determinationem extrinsecam?

Dices: Saltem Actio libera potest dici Actio, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest poni & non poni. Ergo nostra est superflua. Resp, t. a. n. C. quia nostra descriptio clarius proponit partes constitutivas libertatis.

Obj. 2. Cont. 4. Concl. Deus est primum agens, prima causa, primus actus, primum movens; ergo est impossibile, ut sit aliqua positiva perfectio, quin sit à Deo. Ant. patet. quia debet deveniri ad aliquod primum movens; cùm omne, quod movetur, moveatur ab alio; & omne, quod reducitur in actum, reducatur in actum per id, quod est actu. 2. Omnis essentia est ab æterno in Deo, & à Deo, ergo omnis determinatio est à Deo. Ant. patet, quia solus Deus omnibus rebus largitur essentiam. 3. Nulla potentia reducit seipsam in actum, & indifferentia nullo accedente determinativo extrinseco, semper manet indifferentia, ergo est impossibile, ut voluntas indifferens exeat in actum nullo accedente determinativo extrinseco. Ant. patet, quia nihil mutat seipsum; & idem manens idem semper facit idem.

Resp. ad 1. d. Deus est primum agens &c. in ratione causæ efficientis. c. in ratione causæ formalis. n. 2. sicut enim Deus non est causa formalis albedinis, nec est causa determinativa, ut essentia albedinis sit essentia albedinis, sic non est causa determinativa determinationis liberæ; quin Deus ipse, quando liberè vult creare muscam, non habet aliam causam hujus suæ volitionis, nisi ipsam volitionem; etiam si essentia volitionis hujus sit in Deo, & à Deo: sic etiam essentia volitionis humanæ est in Deo, & à Deo, sed determinatio est ab ipsa essentia volitionis. Igitur Deus est causa efficiens tribuendo rebus existentiam; & hæc à solo Deo tanquam primo motore & determinante est, ita ut Ens simpliciter sit à Deo tanquam primo agente. ad 2. c, a. n. C. quia essentiam esse à Deo nihil aliud est, quàm eam à Deo habere existentiam, & in Deo conservari, tanquam cumulo perfectionum. ad 3. n. a. quia potentia divina se reducit in actum; adeoque in conceptu potentiæ reducentis seipsam in actum non involvitur contradictio. Dein, potentiam non reducit seipsam in actum per suàm potentiam formaliter. &c. causaliter. n. reducit enim seipsam in actum per ipsum actum, cui tribuit suam existentiam; actus verò seu determinatio potentiæ formaliter est à seipsa.

Dices: Si Deus est causa determinationis liberæ, tribuendo eidem suam existentiam, tunc prius est dare existentiam huic potius actui, quàm opposito; quàm existere hunc actum; ergo eoipso Deus determinat ad hunc potius actum, quàm oppositum. Ant. Pb. quia Deus non dat cæco modo suam existentiam, sed scit, cui debeat dare, ac velit dare; adeoque tribuendo existentiam huic potius actui, quàm opposito, est causa determinativa, cur potius sequatur hic actus. Resp. n. a. vel d. est prius dare existentiam in ratione causæ efficientis. c. in ratione causæ formalis. n. ad summum sequitur, quod existentia actus, & essentia actûs habeant mutuam prioritatem ad invicem; quanquam nec hoc necessariò dicatur, sed possit, quod fiat condeterminatio. Deus quidem cæco modo non dat, sed dando videt, & videndo dat: existentia est ratio videndi seipsam per existentiam. Hoc simul intelligi potest, igitur etiam dari. Nec ideo sequitur talis actus, quia huic Deus dat existentiam, sed ideo huic datis, quia in his circumstantiis talis est actus; non enim ulla superest indifferentia ad hunc actum, quando Deus dat existentiam. Sequitur ideò actus causaliter, non formaliter.

Obj. 2. Posito quocunque actu primo proximo ad actus oppositos indifferente possibiles sunt actus oppositi, v. g. amoris, aut odii; ergo actio libera non est suiipsius determinatio. C. pb. actus possibilis oppositus qui non sequitur; non est suiipsius determinatio; ergo neque ille actus possibilis, qui sequitur, est sui determinatio; quia oppositorum eadem est ratio. 2. Si actio libera foret suiipsius determinatio, tunc non dependeret à voluntate Dei, obtinere in quocunque actu primo proximo actum à se intentum; sed hoc non potest dici, ergo. min. pb. quia cor humanum in manu Dei, quocunque voluerit, vertet illud. 3. Si actio libera foret suiipsius determinatio, tunc Deus in coordinatione hujus universi teneretur exspectare determinationem creaturæ, & ab hac determinatione in multis suis ordinationibus dependeret; sed hoc non potest dici, ergo. min. pb. Deus est omnipotens, Ergo sine ullo obstaculo potest obtinere quodcunque possibile. Resp. ad 1. d. a. possibiles sunt actus oppositi possibilitate antecedente. c. a. possibilitate consequente. n. a. id est, considerato quocunque actu primo proximo abstractive sumpto potest concipi, v. g. amor aut odium; sed considerato hoc actu primo proximo in his circumstantiis sumpto tantùm reipsa cum veritate intelligi potest odium, aut amor; quia essentiæ eodem modo se habent in statu possibilitatis, sicut se habent in statu reali; igitur si in statu reali datur determinatio odii cum exclusione amoris, necesse est, etiam in statu possibilitatis essentiam respectivam hujus actus primi proximi esse tantum essentiam odii, & non essentiam amoris; adeoque

etiam

etiam in statu possibilitatis tali in casu non datur essentia amoris, & Deus neque in statu possibilitatis videt essentiam amoris respectivè ad hunc determinatè actum primum proximum; quia reverà amor non est possibilis possibilitate consequente determinationem creatam possibilem pro tempore futuro, & ab æterno factam à seipsa possibiliter pro tempore futuro. Exemplum hujus possibilitatis consequentis, & antecedentis habetur in volitione divina; sic enim volitio divina creandi muscam est possibilis, ut etiam possibilis sit volitio opposita; sed postquam Deus ab æterno secum identificavit volitionem creandi muscam, non est possibilis volitio opposita, ad 2. c. maj. n. min. ad. pb. dico, cor esse in manu Dei per hoc, quod possit ponere talem actum primum proximum, ad quem scit secuturum actum à se intentum; est enim impossibile, ut ad infinitos actus primos proximos possibiles sequatur contingenter uniformis actus secundus. Nec ex hoc limitatur omnipotentia, quia hæc versatur circa possibilia. ad 3. n. maj. quia in manu Dei sunt corda hominum, potest obtinere determinationem creatam, quamcunque vult. Igitur non tenetur exspectare hanc determinationem, nisi nulla determinatio sequitur, nisi quam ipsemet vult, aut permittit, ponendo talem actum primum proximum, ad quem prævidet secuturam talem determinationem.

Dices: Si actus v. g. odii est suipsius determinatio, tunc etiam inter infinitos actus primos proximos nulla unquam reperitur necessitas inferendi actum amoris, ergo poterit uniformiter sequi actus odii, nec erit in potestate Dei obtinere actum amoris. Resp. c. a. n. C. quia eoipso, quod nulla in infinita collectione casuum possibilium reperiatur ad determinatum effectum necessitas, non poterit stare uniformitas; contingentia non procedunt uniformiter; si hoc aliunde non capis, quia pertinet ad abyssum infiniti, saltem crede; quia cor regis in manu Domini.

Obj. 3. Potest Deus rem ordinare ad finem suum immediatum non ordinando eam ad finem ultimum, ergo potest etiam appetitum rationalem ordinare ad bonum particulare non ordinando eundem ad finem ultimum; Ant. pb. talis ordo ad finem immediatum non dicit imperfectionem. ergo. 2. Ordo rationalis appetitus ad bonum particulare secundum, est non est malum, ergo potest Deus talem ordinem imprimere, etiamsi aliunde talis ordo habeat defectum ulterioris ordinis ad finem ultimum. 3. Id quod in actu libero est quasi materiale seu positivum potest esse in aliis circumstantiis, bonum ergo determinatio divina potest terminari ad id, quod in peccato est materiale; etiamsi formale peccati, nempe defectus ordinis ad ultimum finem, seu malitia actus non sit à Deo. 4. Potest Deus ordinem appetitus rationalis ad quodcunque bonum particulare ordinare ad ultimum finem,

 volun-

voluntate beneplaciti, etiamsi non ordinet, voluntate signi; potest hunc actum ordinare ad ultimum finem ordinatione ordinantis, etiamsi non ordinet ordinatione ordinati seu rei ordinatæ; ergo Deo non imputatur malitia actus, etiamsi determinet ad speciem actus. 5. Deus potest creare omne possibile, ergo etiam malum possibile; & hoc malum semper erit pœna dignum, quia est ex sua natura malum; nec malitia imputabitur creanti, sed defectui materiæ, seu possibilitati suæ intrinsecæ; sicut putredo statuæ non imputatur artifici, sed ligno, quod est materia statuæ. Cur igitur Deus non possit modum actionis, ratione cujus actio denominatur libera, creare, sive modus ille ex sua essentia tendat ad finem ultimum, sive non tendat? 6. Deus potest ponere actum primum proximum, etiamsi prævideat necessitate physica consequente consecuturum actum malum; ergo etiam poterit ponere actionem suam prædeterminantem, etiamsi prævideat necessitate physica antecedente consecuturum actum malum; quid enim homini prodest, seu actus malus sequatur infallibiliter necessitate potius consequente, quàm antecedente?

Resp. ad 1. n. a. quia finis est motivum omnium mediorum; igitur quidquid appetitur, habet rationem medii, aut rationem finis; potest quidem fieri, ut homo, qui non potest ad omnia esse attentus, reflexè non cogitet de fine; impossibile tamen est, ut intentio finis non influat virtualiter, aut habitualiter in actum. Multo magis id repugnat in Deo, qui non sapientia tantùm, sed & voluntate omnia simul complectitur; igitur ordinatio non continua ad finem ultimum dicit imperfectionem. ad 2. d. a. non est malum physicum, c. morale, n. intrinsece enim talis ordo non refertur ad finem ultimum, & ideo habet defectum intrinsecum. ad 3. n. a. quia actio continens intrinsecum defectum ordinis ad ultimum finem in nullis circumstantiis bona est. Est autem hic defectus actioni intrinsecus, quia etiam esset ordinationi. ad 4. n a. quia ordo est typus ordinationis divinæ; adeoque nequit ordinatio divina terminari ad finem ultimum, quin etiam ordo rei creatæ impressus terminetur ad finem ultimum. Voluntas autem beneplaciti non est ordinatio, sed simplex complacentia; ordinatio semper producit ordinem sibi similem. Dein, etiamsi Deus posset talem ordinem rationalis appetitus ad bonum particulare creare; non respiciendo ad finem ultimum; tamen non posset talem ordinem improbare; quia alias improbaret suam ordinationem, eamque damnaret; si enim ordinatio divina ob negationem solam ad ultimum finem non est mala; cur ordo appetitus rationalis ad bonum particulare sit malus, qui etiam tantum abstrahit à fine ultimo, nec habet defectum positivum, sed tantum negativum? Accedit, quod actus non sit in culpa habendo defectum, quem sibiipsi nec dare, nec auferre potest; sed

Deus

Deus foret in culpa non impediendo defectum unicè à se dependentem. Igitur dicendum est, defectum esse actioni intrinsecum, positivum, & ab ipsa actionis determinatione. ad 5. c. a. C. etiam C, sed nego suppositum determinationem mali propterea pertinere ad Deum; quia licet Deus tribuat existentiam actioni malæ, non tamen est causa, cur actio sit mala: actio enim ex sua determinatione talis est, qualis est; & quidem in his circumstantiis ex sua essentia talis, quia est essentialiter respectiva hujus actûs primi proximi; nec dependet à Deo, an posito hoc actu primo proximo velit huic actioni tribuere existentiam, an non, quia possibilitate consequente nulla alia actio possibilis est. ad 6. c. a. n. C. quia determinatio deficiens à fine ultimo dicit defectum intrinsecum; igitur ex parte Dei non potest dari talis determinatio, adeoque nec ex parte antecedente actum, quia daretur ex parte Dei. Homini quidem nil prodest, quod relinquatur suæ libertati defectibili à fine ultimo, quantum est ex se; sed Deo ita visum est, ut relinqueret hominem in manu consilii sui.

Dices: Si Deo non est imputandum, quod tribuat suam existentiam actioni ex sua essentia talis, quam potest non tribuere; multò minus erit imputandum menti, quod tribuat suam existentiam eidem actioni, quam necessitate naturæ per modum subjecti tenetur tribuere; ergo in hoc libertatis systemate non tollitur difficultas imputabilitatis. Conf. si actio libera ideò est talis, quia ex sua essentia est talis; tunc omne nostrum meritum ac demeritum videtur ultimatò tribui aut fato, aut casui; quia inevitabiliter contingit, actionem nostram liberam ex seipsa esse talem.

Resp. n. a. quia ordinatio rationis imputatur suo principio; juxta nos ordo appetitus rationalis est vera ordinatio mentis, quæ continuativè se in omnes species ordinum dividere potest; sicut igitur ordinatio rationis ex sua essentia conjuncta est cum ratione ac mente, ita sortiuntur eandem fortunam; igitur non ideo imputatur actio libera menti, quia ab hac habet existentiam, sed ideo, quia procedit ab ea tanquam principio; licet formalis determinatio non teneat se ex parte principii, sed ex parte actionis continuativè procedentis. ad Conf. n. a. quia quod ex ordinatione propriæ rationis fit, non fato, aut casu fit; verum quidem est: actio libera contingenter fit, nec habet aliud determinativum formale specificum præter seipsam; sed illa contingentia non debet nominari fatum, aut casus; quia cum ratione deliberativum; aut si abuti velis termino, dic, actionem liberam fatò, quod quisque sibiipsi statuit, fieri.

Cæterùm agnosce, quanta sit necessitas Gratiæ congruæ, quæ sola ex certa destinatione divinæ sapientiæ nos ex incertis Contingentium legibus ereptos in perpetuam divinarum ordinationum seriem stabiliter inserit.

QUÆSTIO XIII.

Quænam sit Idea Relationis & Habitus?

QUid sit Relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam, dictum est de Idea Actionis. Hæc enim relatio nihil aliud est, quam ille ipse ordo inter causam & effectum, qui ante momentum productionis vocatur Activitas; in momento productionis actio; & post momentum productionis Relatio. Existit tam in causa, quàm in effectu, prout Idea Ordinis mutui demonstrat.

Quid sit Relatio Loci ad suum locatum, aut Relatio dextri, sinistri, propinqui, remoti &c. quæ relatio dicit situm rei; dictum est de Idea Loci. Hæc enim relatio nihil aliud est, quàm ordo rei locatæ ad aggregatum angulorum extrinsecorum: & ipsa figura ac essentiam angulorum extrinsecorum constituit ideam dextri, sinistri, propinqui, remoti &c.

Quid sit Relatio temporis, dictum est de Idea temporis. Hæc enim relatio nil aliud dicit, quàm diversas series causarum & effectuum cum perpetuo ordine ac respectu simultatis rerum labentium. Hic ordo ac respectus est continuus, prout obversatur menti.

Conclusio 1. Relatio Similitudinis est ordo ejusdem qualitatis ad diversa subjecta. pb. Concl. Similia intelliguntur illa subjecta, in quibus intelligitur eadem qualitas; ergo similitudo nil aliud est, quàm unio ejusdem indefinitæ qualitatis ad diversa subjecta. Conf. quando intelligo albedinem existere in duobus muris, eoipso possum dicere, hos muros esse similes; ergo per hanc denominationem murorum similium non importatur alius conceptus, quàm albedinis secundum se indefinitæ ad duos muros unitæ.

Conf. 2. In similitudine murorum nil aliud sentio menti obversari, quàm duos muros, albedinem secundum se indivisam, & unionem albedinis indivisæ ad duos muros; ergo similitudo nil aliud dicit.

Corollarium. Hinc Relatio similitudinis nec consistit in solo fundamento, & termino; nec in adæquata ratione fundandi; nec in entitate superadditâ; quia concipiendo duos muros & albedinem unitam duobus muris, nondum cogito de similitudine, nisi concipiam, albedinem secundum se esse eandem ac indivisam. De tertia vero entitate nil cogito, quia non ordino duos muros ad invicem, sed tantum cogito de identitate specifica albedinis unitæ duobus muris.

Conclu-

Conclusio 2. Relatio æqualitatis est ordo ejusdem quantitatis ad diversa subjecta. pb. Concl. æqualia dicuntur, in quibus eadem est quantitas, ergo æqualitas nil aliud est, quàm ejusdem quantitatis ad diversa subjecta coordinatio.

Conclusio 3. Relatio numerorum nil aliud est, quàm relatio numerationum. pb. Concl. in rebus numeratis nil reperitur, ratione cujus unum objectum dicatur primum, aut secundum; ergò coordinatio rerum numerica est tantùm denominatio extrinseca, desumpta à successione numerationum.

Corollarium. Quando numerus sequitur ordinem loci, temporis, causarum &c. tunc relatio numerica non distinguitur à relatione loci, temporis, causæ &c.

Conclusio 4. Relatio totius ad partes, partium ad invicem, aut formæ ad subjectum non distinguitur ab ordine, quem habent ad invicem, secundum locum, aut secundum causalitatem ad invicem. pb. Concl. in his relationibus nil sentio obversari, nisi connexionem plurium ad eosdem angulos; aut ad communem existentiam, ergo nil aliud datur, nisi ista connexio seu ordo.

Conclusio 5. Habitus est ordo potentiæ ad actum congruis dispositionibus expeditæ. pb. Concl. Habitus est dispositio potentiæ stabilis faciliter exeundi in actum, ergo quoad rem nil aliud est, quàm ordo potentiæ ad actum congruis dispositionibus expeditæ. pb. C. quia solæ dispositiones non sunt ipsa activitas; sed ordo est activitas potentiæ, qui secundum diversas conditiones dispositionum actu trahit effectum. Conf. hoc ordine intellecto, intelliguntur omnia attributa, & proprietates habituum, hoc verò non intellecto, non intelliguntur; ergo in hoc consistit. Ant. pb. sic enim 1. intelligitur, quomodo per frequentatos actus acquiratur habitus, quia per actus removentur dispositiones contrariæ, & introducuntur congruæ. 2. Quomodo habitus possit intendi & remitti; quia ordo non connectit potentiam cum actu, nisi secundum circumstantias dispositionum. 3. Quomodo habitus possit esse naturalis, aut acquisitus; quia aliquando potentiæ imprimitur ordo ad actum cum ipsis dispositionibus in prima ejus productione: aliquando statim in ipsa productione imprimitur potentiæ ordo ad actum, sed non imprimuntur dispositiones ad actum. Interdum ordo primùm consequitur dispositiones; nonnunquam præcedit, ita ut accidentaliter imprimatur potentiæ ordo ad actum, etiamsi nondum adsint dispositiones ad actum. 4. Patet, quid sit habitus naturalis, & supernaturalis ac infusus. Naturalis enim est, qui sequitur ordinem ac cursum ordinarium naturæ; supernaturalis est, qui datur ad actum supernaturalem. Et tales plerumque dantur à Deo sine dispositionibus ad actum; sicut habitus virtutum infusi.

infusi. 5. Colligitur distinctio habituum, quia ubi nulla datur subordinatio finium, ibi datur distinctio habituum; similiter datur eadem distinctio habituum, ubi datur diversitas potentiarum; quando verò sola datur diversitas actuum aut objectorum, aut dispositionnm; datur quidem formalis diversitas habituum, sed ii possunt continuativè esse idem.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. quando considero duos muros similes, non sentio mihi obversari relationem ac habitudinem albedinis ad muros, sed murorum ad invicem; ergo Relatio similitudinis non est ordo qualitatis ad diversa subjecta, sed respectus subjectorum ad invicem resultans ob qualitatem. 2. Nullibi existit una ac eadem v. g. albedo, quæ possit referri ad diversos muros, ergo. 3. Non repugnat, cuilibet qualitati esse identificatum respectum ad omnem aliam qualitatem sibi similem etsi indeterminatam, ergo id convenienter asseritur. 4. Habitis duobus muris, & adæquata ratione fundandi, v. g. duplici albedine; nemine cogitante verum est, dari similitudinem inter duos muros, ergo similitudo in his præcisè consistit. 5. Potest dari ordo ejusdem qualitatis ad diversa subjecta, quin detur similitudo, ergo. Ant. pb. potest albedo priori subjecto in nihilum redacto uniri novo; et in hoc casu non datur similitudo, quia ad non ens nulla datur relatio, ergo.

Resp. ad 1. d. quando considero duos muros similes quà tales, n. qui sunt tales, c. quando enim considero ipsam murorum similitudinem, necesse est, ut eadem idea albi dimetiar utrumque murum, sicque attribuam albedinem ut sic, indefinitam, ac secundum se indivisam utrique muro, ad 2. d. non existit una albedo extrinsecè spectata. c. intrinsecè spectata. n. quia albedo unius muri intrinsecè non distinguitur ab albedine alterius muri, etiamsi hæc albedo extrinsecè per duo diversa subjecta, ac duas diversas individuationes dividatur: albedo enim secundum se semper manet albedo, & nihil aliud, ubicunque sit; adeoque ubicunque sit, secundum se indefinita est. ad 3. n. a. quia eadem qualitas ad seipsam respectum habere non potest; dein non habemus idem hujus respectus; igitur eum ut possibilem affirmare non possumus. ad 4. d. verum est dari similitudinem præcisè ob rationem adæquatam fundandi. n. ob unionem albedinis ejusdem ad duos muros &c. committitur hic fallacia accidentis, quia similitudo adscribitur adæquatæ rationi fundandi, quæ hic tantùm concomitanter conjuncta est cum similitudine. Saltem intellecta hac adæquata ratione fundandi nondum eoipsò intelligitur similitudo, quia possunt à me intelligi simul duo muri albi, quin cogitem de eorum similitudine; & quam-

primùm

primum incipio cogitare de hac ſimilitudine , ſentio alio modo mihi obverſari hos duos muros ; ille alius modus non eſt nihil , quia eſt idea ; & eſt revera ordo ejusdem qualitatis ad diverſa ſubjecta. Ad. 5. n. 2. quia ſimilitudo rei exiſtentis ad rem futuram , aut præteritam poteſt intelligi ; igitur poteſt etiam dari ob conformitatem mundi realis cum mundo intellectuali ; quin ex hoc confirmatur noſtrum ſimilitudinis ſyſtema , quia in hoc facillimè explicatur ſimilitudo rei exiſtentis ad futuram aut præteritam.

Obj. 2. Cont. 2. Concl. Sentio mihi alio modo obverſari apoſtolos , dum cogito , eos eſſe duodecim ; quam obverſantur , dum id non cogito ; ergo numerus duodenarius ſuperaddit objecto ſpecialem relationem ; quia modus ille objectivus numeri duodenarii non eſt nihil. 2. ipſi actus mentis , quibus numero duodecim apoſtolos , non ſunt intrinſecè duodecim ; ergo numerus duodenarius eſt etiam ab ipſa numeratione diſtinctus. Ant. pb. poſſum omnes hos actus concipere , quin cogitem de eorum numero duodenario, ergo. 3. poſſum unico actu indiviſibili numerare duodecim apoſtolos , & uno actu intelligere numerum duodenarium ; ergo numerus non deſumitur à ſucceſſione numerationum. 4. unitas aliquid eſt, & quidem ſimplex ac indiviſibile , ergo , omnis numerus aliquid eſt ſaltem repetita unitatis acceptio. 5. Deus ſcit numerum omnium rerum ſine ulla numeratione , aut ſucceſſione numerationum ; ergo numerus ille objectivus Dei non eſt ipſa numeratio , ſed certa unitatum relatio.

Reſp. ad 1. d. ſentio mihi alio modo obverſari apoſtolos ex parte recti. n. ex parte obliqui c. a. hæc enim denominatio extrinſeca , duodecim apoſtoli ; in recto dicit apoſtolos , ut ſubſtantes numerationi duodenariæ ; & hinc in obliquo ſimul importatur ac obverſatur menti numeratio apoſtolorum , quæ non obverſatur , quando cogito de apoſtolis abſtrahendo ab eorum numero. Hinc ille , qui vult ſcire numerum apoſtolorum , aut aliorum objectorum , incipit numerare , dein quærit à ſeipſo , quot numeraverit , ac tunc primum enunciat , ſe numeraſſe duodecim , & intuitu hujus numerationis dicit eſſe duodecim : igitur clarum eſt in mente ſimul obverſari numerationem , dum obverſatur numerus : alioquin , ſi numerus ſe teneret ex parte rei numeratæ , deberet ſtatim cognoſci ex ipſo aſpectu rei ; nec opus eſſet numeratione. Dein , quis apoſtolorum foret ſubjectum iſtius numeri duodenarii ? an accedente decimotertio ſtatim deſtrueretur numerus duodenarius , cum tamen ſit pars decimo tertii ? ad 2. n. a, quia numera-

 tio

tio est essentialiter ac intrinsecè successiva plurium objectorum coordinatio, & eoipsò quod sit plurium coordinatio, tribuit objectis denominationem trinarii, duodenarii &c. Hinc non possum concipere numerationem, nisi concipiam numerum, seu ordinem intentionalem menti arbitrarium, quo unitates inter se connectit. Ad 3. c. a. n. C. quia in tali tantum unico actu intelligitur integra series numerationum, & coordinatio objectorum. ad. 4. c. a. d. C. ergo numerus est unitatum coordinatio in mente. c. extra mentem. n. licet enim unitas sit ipsa cujusque simplex essentia, aut individuatio ostendi tamen, has unitates non habere extra mentem aliam coordinationem numeralem, nisi quam illis arbitrariè mens sua numeratione tribuit. Cæterum non admitto unitatem arithmeticam, sed physicam, nempe individuationem: quid enim foret illa unitas? & quomodo ipsa unitas foret multiplex? igitur unitas non est aliud, quam quævis perfectio simplex, quæ eoipso in se una est, quod non sit alia. Ad. 5. d. Deus scit numerum sine numeratione propria. c. sine aliena. n. scit enim Deus, qualiter mentes creatæ res interse arbitrario coordinent. Dein scit Deus totam seriem entium, igitur scit Deus hocipsum, quod homines sciunt numerando; ille enim simplici intuitu intelligit infallibiliter omnia, nec opus habet, ut ob memoriam hæc entia speciali ordine arbitrario connectat, prout homines faciunt res numerando.

Obj. 3. Cont. 5. Concl. Habitus oriuntur, crescunt, decrescunt, ac deficiunt cum ipsis dispositionibus, ergo consistunt in ipsis dispositionibus. Resp. n. a. quia ordo ad actum dari potest sine dispositionibus; verum quidem est, ordinariè & in sensu usitatiore per habitum intelligi ordinem potentiæ ad actum congruis dispositionibus expeditæ; sed solæ dispositiones sine connexione ac ordine ad effectum non possunt producere effectum: non nego, hunc ordinem aliquando instrumentaliter competere ipsis dispositionibus, sed principaliter semper competit potentiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

Quænam sit Idea Compositi Naturalis?

COnclusio 1. Compositum Naturale est Extensio cum ordine ad certas proprietates, combinationes, ac successiones suarum partium. Pb. Concl. Hæc idea compositi naturalis complectitur omne & solum, quod nobis obversatur in omni assignabili composito naturali corporeo, Ergo est genuina. Ant. pb. ab enumeratione: sic enim in omni composito 1. reperitur extensio. 2. reperiuntur partes aut homogeneæ, aut heterogeneæ; aut continuæ, aut contiguæ tantum. 3. reperiuntur certæ proprietates partium, nempe, figura, magnitudo, humiditas, siccitas, raritas, densitas, elasticitas, opacitas, diaphaneitas &c. 4. reperitur certa combinatio partium, aut continua, aut contigua; aut cum magnis interstitiis, ac poris, aut cum exiguis; aut regularis, aut irregularis; aut mechanica, aut simplex &c. 5. reperitur successio ac motus partium; prout in arboribus, in quibus pulsis prioribus succedunt novæ; nonnunquam partes simul cum motu mutant proprietates; nonnunquam omnino sine motu resecantur. 6. denique reperitur in materia seu Extensione Ordo ad omnes has proprietates, combinationes, successiones, ac mutationes, quia materia nullam induit proprietatem seu formam sine ordine primi ordinantis, qui ordo per causas ad effectus continua serie diffunditur. Quando autem partes suis proprietatibus ad nullum finem à primo ordinante ordinari possunt, nisi coordinentur in unum compositum, sicut partes hominis, ossa, nervi, caro &c. tunc clarum est, eadem ordinatione, qua partibus datur sua proprietas, dari etiam combinationem partium; & propterea in materia est idem ordo ad proprietates, & ad combinationem partium. Quia verò sæpe combinatio partium à primo ordinante intendi prudenter non potest, nisi partes illæ aliquid operentur, ac propterea moveantur, mutentur, aut propellantur; clarum est, eandem ordinationem divinam, quæ se extendit ad proprietates partium, se simul extendere non tantum ad combinationem, sed etiam ad mutationem ac successionem partium.

Corollarium. Hinc compositum naturale in multis differt ab artificiali, aut accidentali. 1. in composito naturali datur una communis om-

nium partium existentia: quia Deus non tribuit objecto existentiam, nisi jam ordinato ac expedito ad suum finem; igitur quando datur communis plurium partium ad eundem finem ordinatio, consequitur pariter existentiæ communio. Econtra in compositis artificialibus, & accidentalibus partes habent separatam existentiam, quia habent diversos fines. 2. in composito naturali unio partium est naturalis, per se inventa à natura; quia partes talem habent habitudinem ac aptitudinem ad invicem, ut seorsim nullam habeant functionem aut finem in mundo; & propterea à Deo non accipiunt existentiam, nisi in ordine & cum ordine ad compositum; econtra partes compositi naturalis, aut accidentalis non exigunt ex sua natura ordinari ad invicem; quia habent seorsim suas functiones in natura; ob quod accipiunt à Deo propriam existentiam, sine ordine ad compositum. 3. Compositum naturale est manifestum Ectypon divinæ providentiæ; quia in illo relucet perpetua subordinatio partium ac mediorum ad finem: tribuitur partibus sua proprietas ob dispositiones in materia præexistentes; & ob dispositionem harum partium fit earum unio, & ob unionem partium aptam ad functiones fit motus, ac operatio; igitur in hoc composito datur continuus ac providus ordo ad finem; Econtra in compositis accidentalibus hic ordo non relucet; & in compositis artificialibus proprietas materiæ se habet impertinenter ad finem ab artifice intentum, aut saltem ea proprietas non est à providentia artificis.

Conclusio 2. Unio partium in composito naturali distinguitur realiter à partibus. Pb. Concl. Idea ordinis distinguitur ab idea partium, ergo unio, quæ nihil aliud est, quam ordo partium, distinguitur realiter à partibus, ob separabilitatem. Ant. Pb. concipiendo quascunque partes utcunque aptas uniri ad invicem, aut quemcunque actum primum proximum nondum tamen eo ipso sentio menti obversari ipsum actualem ordinem partium, ergo est alia idea ordinis.

Corollarium. Cum unio nil aliud sit quam ordo materiæ ad suas proprietates, & ordo partium ad invicem, ac ad earum functiones; poterit hæc unio diversis nominibus designari. Sic 1. potest vocari Tertia Entitas, quia causat vi sua omnes perfectiones in composito existentes; nam ordo perfectionum, juxta nos est causalitas perfectionum & mediante hoc ordine tribuitur existentia singulis perfectionibus ac partibus. Hinc 2. potest vocari intrinseca causalitas partium ad invicem; quia mediante hoc ordine una pars est formalis ratio exigendi existentiam suarum compartium. 3. Potest vocari formalis ratio constitutiva compositi; aut ratio formalis constitutiva Unius per se: quia per

hunc

hunc continuum ordinem compositum est, & per eundem est unum Ens per se, seu ens habens unam existentiam, cujus unitas est ex intentione ac coordinatione naturæ creatricis. 4. potest vocari Pars substantialis compositi, ut quo; quia ordine substantia est. 5. potest vocari Potentia subjectiva materiæ; & Potentia informativa formæ: quia omnis vis, potentia, & activitas consistit formaliter in ipso ordine unius perfectionis ad aliam. 6. potest vocari Relatio partium ad invicem, resultans post unitionem partium: quia juxta nos idem ordo ante momentum productionis potest vocari Activitas; in momento productionis Actio; post momentum productionis Relatio.

Conclusio 3. Individuatio compositi naturalis est ordo rei ad tales proprietates, combinationes, aut operationes partium, quarum collectio non reperitur in alio composito. Pb. Concl. hic ordo est immultiplicabilis, ergo est ipsa individuatio. Pb. Ant. in toto cumulo perfectionum possibilium non reperitur, aliud distinctivum unius rei ab alia; ergo hic ordo eo ipso est immultiplicabilis. Ant. pb. non sentio animo meo obversari aliud distinctivum, nisi ordinem rei ad has circumstantias, aut proprietates &c. ergo aliud non datur. C. Pb. quia individuatio, aliqua saltem, nota esse debet; alioquin nihil unquam simile individuationi nobis obverfaretur, dum duas res per individuationem suam ab invicem discernere nitimur.

Corollarium. Hinc individuatio rei plerumque nobis accuratè nota non est; quia ignoramus omnes illas proprietates, operationes, ac circumstantias, ad quas Deus rem in ipsa ejus productione ordinare voluit; liberum enim Deo est, ad quas proprietates, aut circumstantias &c. existiam ac ordinem totius compositi alligare velit.

Conclusio 4. Essentia ac differentia specifica compositi desumitur ab Ordine stabili ad aliquam collectionem proprietatum notabiliorem. Pb. Concl. in composito nil reperitur stabile ac fixum, per quod plura individua ad unam classem entium referri, & ab omni alia classe entium separari debeant, nisi iste ordo; ergo essentia ac differentia specifica ab hoc desumi debet. Pb. Ant. quælibet pars, aut proprietas compositi tolli potest, remanente eadem individuatione compositi; ergo nil reperitur aliud stabile ac fixum, in quo essentia ac differentia specifica constitui possit. Pb. Ant. potest in materia relinqui ordo ad quamcunque formam, etsi illa forma aut proprietas ad aliquod tempus separetur à materia; ergo quævis pars tolli potest remanente eadem individuatione ac essentia.

Pb. 2. sæpe manente eodem composito nulla relinquitur pars, aut proprietas compositi, præter ordinem, ergo essentia, identitas, ac differentia spe-

ſpecifica in nulla alia re, quam iſto ordine conſtitui debet. pb. ant. ſic ex ſemine fit ovum, ex ovo animal; ex grano fit arbor; ex aqua nix, ex mercurio pulvis, aqua, vitrum; In his compoſitis non remanet ulla proprietas, aut forma; remanet tamen idem compoſitum, ergo. Ant. pb. g. 1. m. non obverſatur menti ulla permanens proprietas; ergo ad intelligendam identitatem compoſiti non requiritur, ut reverà aliqua remaneat, adeoque ſine cauſa aſſeritur remanere aliqua forma; quia etiamſi nulla obverſetur menti formæ aut proprietatis identitas; tamen obverſatur compoſiti identitas. Ant. quoad 2. m. patet, quia omnes hæ mutationes fiunt remanente eodem ordine ac individuatione; hinc etiam nix, & mercurius ad priorem ſtatum ſenſibilem redit.

Corollarium. 1. Hinc Eſſentia compoſiti naturalis manet ſtabilis, etiamſi partes eſſentiales ſint mutabiles ac ſucceſſivæ; quia eadem res à primo ordinante ad diverſas proprietates pro diverſitate temporum ordinari poteſt, quo caſu eſſentia ſeu ordo non mutatur, etiamſi mutentur partes eſſentiales, ſeu illæ partes, quas eſſentia compoſiti ad exiſtentiam totius compoſiti pro aliqua temporis differentia indiſpenſabiliter exigit, ita ut ab his partibus pro aliqua temporis differentia dependeat ordo ac exiſtentia totius compoſiti.

Corollarium. 2. Hinc patet, quænam ſit differentia inter partem eſſentialem compoſiti, & inter accidentalem pars eſſentialis eſt, qua ſolâ pro aliqua temporis differentia non intellecta, non intelligitur totum, & qua intellecta, intelligitur totum. Seu, pars eſt, qua ablatâ, eòipſo tollitur ordo ac exiſtentia compoſiti. Cum verò nobis plerumque ignotum ſit, quibus partibus Deus alligare voluerit ordinem ac exiſtentiam compoſiti, etiam ignotum erit, quænam pars ſit eſſentialis, quæ accidentales; interim patet etiam partes eſſentiales in compoſito naturali poſſe eſſe ſucceſſivas.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Cont. 1. Concl. compoſitum naturale eſt, quod conſtat materia, forma, & unione, ergo non eſt opus his deſcriptionum ambagibus. 2. poteſt dici; compoſitum phyſicum naturale ab artificiali per hoc differre, quod habeat principium motus ab intrinſeco. ergo 3. Non dedecet divinam ſapientiam ac providentiam, operari in mundo modo ſimpliciſſimo per principia mechanica, ordinando ac combinando partes materiales adinvicem, ordinatione extrinſeca; ergo non conſtat compoſitum naturale differre ab artificiali, niſi ratione artificis, & ratione perfectionis compoſitionis.

Reſp.

Respond ad 1. & 2. t. a. n. C. quia hæc descriptio compositi naturalis, licet sit vera, non continet claram ac distinctam ideam. ad 3. t. 2. n. C. quia pronum est, operari modo intellectuali longe perfectiori & potentiori, cum juxta modum intelligendi immediatè sine alio adminiculo sequatur modus existendi. Dein etiam à posteriori constat, sæpe mutari statum sensibilem compositi, quin nobis obversetur mechanismus partium; ergo sine causa asseritur mechanismus, cum obvius sit alius modus intelligendi mutationem proprietatum sensibilium, nempe intellectualis. Accedit, quod circa mechanismum occurrant multæ difficultates, quæ recensentur in physica.

Obj. 2. Cont. 2. Concl. partes compositi naturalis jam sunt ex seipsis sufficienter determinatæ ad constituendum unum compositum, ergo non indigent unione distincta. ant. pb. hæ partes sunt sufficienter determinatæ ad producendam unionem; ergo etiam sunt sufficienter determinatæ ad constituendum unum compositum. 2. partes habentes debitam proportionem, sufficienter applicatæ, ac positis conditionibus ad agendum requisitis, possunt immediatè in seipsas mutuò agere, aut communi actione producere effectum distinctum, ergò ad unitatem compositi non requiritur alia unio. 3. si in homine daretur unio inter corpus & animam; tunc illa unio simul deberet esse spiritualis ex parte animæ, & materialis ex parte corporis; at hoc repugnat, ergo. Resp. ad 1. d. partes sunt sufficienter determinatæ materialiter c. formaliter. n. quia idea partium, utcunque per modum congruæ materiæ aptarum ad unionem, non involvit ideam unionis; possunt convenienter ordinari actu ad compositum, sed non sunt ipsa coordinatio. ad 2. c. a. n. C. quia communis actio, aut mutua actio & passio nondum involvit ideam unionis in ordine ad communem existentiam: neque enim Sol, Deus, Dæmom, aer, constituunt cum homine unum compositum; etiamsi agant aliquando actione communi, saltem idea unionis, & compositi naturalis, eo modo, quo à nobis proponitur, est possibilis; ergo nil repugnat, quin sit mensura ac imago compositorum naturalium, quæ Deus potuit & præsumitur creasse conformiter ad has nostras ideas; quia natura hoc nobis dictat, experientia consentit, & hoc maximè decet Deum, qui operatur modo perfectissimo. ad 3. n. maj quia juxta nos quævis perfectio secundum se nec est spiritualis, nec materialis, sed denominatur à statu, in quo ponitur: igitur unio potest esse spiritualis, ut existens in anima, & materialis ut existens in corpore, nec sequitur, propterea admittendas esse duas uniones ex se diversa; quia illa unio in seipsam divina non est; sed tantum existit in dupliei subjecto; sicut homo, qui ponitur in duplici loco, secundum humanitatem divisus non est; sed tantum existit in duplici subjecto;

ita

sia etiam unio tantum extrinsecè per duas diversas individuationes à se distinctas in duas dividitur.

Obj. 3. Cont. 3. Concl. concipiendo duo ova omnino simillia sentio animo obversari diversitatem individualem, & tamen non sentio animo obversari ordinem ac relationem ad diversas proprietates, aut circumstantias &c. Ergo individuatio non est aliquid relativum, sed aliquid absolutum. 2. potest Deus creare duo ova perfectè similia, eadem actione creativa, in eodem loco, ac tempore &c. ergo individuatio est quid absolutum. 3. hic ordo rei ad suas proprietates est multiplicabilis & capax recipiendi plures sui individuationes; Ergo non est ipsa individuatio. pb. ant. hic ordo cum omni combinatione partium potest comprehensivè existere in mente Dei, angeli &c. Ergo est multiplicabilis. 4. non potest dici, an hic ordo sit identificatus cum partibus; an verò sit realiter distinctus; an sit unus, aut multiplex &c. ergo nihil dicitur, quod fundet claram individuationis ideam. ant. pb. quia Deus ex una parte videtur unica ordinatione ordinare totum compositum; ex altera verò parte videtur unio & actio partium ab ipsis partibus esse distincta.

Resp. ad 1. n. a. quia in talibus ovis saltem concipio respectum diversum ad diversa loca; aut certè separabilitatem, id est, aptitudinem ac ordinem ad diversa loca, diversos casus, actiones, passiones, causas, effectus &c. Et, quamquam hic respectus ad diversa loca pro hac vel illa differentia temporis non sit forte vera individuatio ovi; potest tamen esse vera; & ideo non incongrue substituitur veræ, quæ saltem adæquatè à nobis ignoratur. ad 2. n. a. est enim impossibile, ut eadem idea non maneat eadem, quamdiu non connectitur cum aliis diversis ideis clarè cognitis; igitur ob conformitatem mundi realis ad mundum intellectualem est impossibile, ut res non maneat eadem ac una, quamdiu non ordinatur ad diversa connotata qualiacunque &c. ad 3. d. est multiplicabilis manens in suo statu adæquato, n. in alio statu c. ordo enim comprehensivè existens in mente, est quidem idem specie ordo, ac secundum se indivisus ac indistinctus; sed in mente existit per modum partis, & per modum accidentis; in quo statu non habet se activè, sed passive, ut mirum non sit, si in statu passivo per alium ordinem mentis individuetur: in statu tamen activo, ubi potest operari, multiplicari non potest status iste activus, & passivus Ordinis omnia individuantis impossibilis non est, quia intelligitur & obversatur menti, dum ordinem respectu rerum ordinatarum intelligo intrinsecè se habere activè; respectu mentis verò intelligentis passivè. ad 4. n. a. & dico hunc ordinem quidem distingui à partibus secundum se sumptis; sed esse divisibilem,

lem, sicut omnem aliam perfectionem relativam; & hinc secundum quid identificatur cum partibus, inquantum eas inseparabiliter sub una existentia comitatur; & hoc fit in omnibus compositis, in quibus partes simul cum unione corrumpuntur; sed in iis compositis, in quibus unio separabilis est à partibus, ut contingit in homine, unio secundum quid distinguitur à partibus; inquantum nempe post mortem una pars potentialis, prius identificata, hujus ordinis perit; sicut in continuo per divisionem una pars resecatur, licet antea identificata fuerit. Quando diximus, unionem realiter esse distinctam à partibus, id in hoc sensu intelligendum est.

Obj. 4. Cont. 4. Concl. in quovis composito naturali reperitur forma substantialis, qua posita, ponitur totum, & qua sublata, tollitur totum, ergo Essentia & Differentia specifica recte constituitur in ista forma. 2. Ordo rei ad collectionem proprietatum est ipsa individuatio rei, sed ab individuatione non desumitur essentia ac differentia specifica, ergo nec desumitur ab isto ordine. maj. patet, quia differentia specifica definitur esse diversitas essentialis plusquam numerica. Resp. ad 1. d. reperitur forma substantialis divisibilis. c. indivisibilis. n. forma substantialis consistit in complexo omnium earum perfectionum ac formarum, à quibus dependet existentia; igitur forma indivisibilis non est; quin immo, cum existentia ejusdem compositi successivè à diversis formis dependere possit, forma substantialis erit mutabilis, inquantum forma prior aut continuativè mutatur, aut inquantum priori formæ succedit alia. Cùm Essentia rei sit immutabilis, & consistat in indivisibili; ea in forma substantiali utpote mutabili ac divisibili constitui non potest. Ad 2. id. est ipsa individuatio adæquatè sumpta. n. inadæquatè sumpta. c. ordo enim ad collectionem proprietatum magis notabilem præcisivè ac formaliter sumptus non est individuatio, quia non est ratio disconveniendi ab omni alio composito; licet continuativè sit idem cum individuatione. Cæterum quanta & qualis proprietatum collectio sufficiat aut requiratur ad differentiam specificam, ut plurimùm dependet ab arbitrio hominum, & judicio prudentum, res in certas classes, memoriæ & claritatis gratia distribuentium. Igitur illa differentia erit specifica, quæ meretur aut certè obtinet attentionem hominum res in diversas classes distribuentium. Essentia realis unius compositi ab essentia alterius semper diversa est; quia reverà tam specifica, quàm individualis est composito essentialis; sed Es-

sentia Nominalis, ad quam nempe attendunt homines, in pluribus individuis eadem est, quia nempe præcisive ac formalier sumpta convenit cum essentia alterius compositi.

QUÆSTIO XV.

Quænam sit Idea Compositi Accidentalis & Moralis?

CONclusio 1. Compositum Accidentale est collectio contingens partium, quæ uno nomine comprehenditur. pb. Concl. hæc descriptio convenit omni & soli. ergo.

Corollarium. Hinc essentia compositi accidentalis consistit in complexo partium, quo posito, ponitur denominatio, & quo sublato, tollitur denominatio: adeoque pars essentialis est, qua non posita, positis licet reliquis partibus omnibus, non ponitur denominatio; id est, intuitu cujus tribuitur composito denominatio; ac proin omne id est essentiale composito accidentali, ad quod homines in sua denominatione solent respicere; si aliquid aliud concurrit ad constitutionem compositi; ad quod tamen homines immediate non respiciunt; id habet se per modum Conditionis, proprietatis, aut accidentis. Igitur quod est essentiale composito accidentali, debet immediate obversari menti, tanquam immediatum significatum nomini; cumque significatio vocum sit amplissima, & accommodata diversissimis ideis hominum; necesse est essentiam compositi accidentalis nec uniformem, nec stabilem esse; quia homines pro suo arbitrio significato vocis aut assuunt novas ideas, aut priores tollunt; ita ut successive notabiliter sit alia vocis significatio.

Conclusio 2. Compositum artificiale est collectio provida partium, quæ uno nomine & fine ob ipsam conditionem operis comprehenditur. pb. Concl. Hæc descriptio convenit omni & soli, ergo.

Corollarium. Hinc essentia ac identitas compositi artificialis unice dependet ab unitate nominis & finis, quæ unitas iterum multum dependet ab arbitrio hominum; adeoque quantumcunque mutentur partes essentiales compositi artificialis, non eoipso mutatur essentia ac identitas compositi; quia hæc salvatur in ordine ad unum finem & unam denominationem.

Con-

Conclusio 3. Compositum Morale est collectio plurium partium dependens à subordinatione voluntatis humanæ, pb. Concl. Hæc descriptio convenit omni & soli, ergo.

Corollarium. Hinc patent proprietates compositi moralis. 1. ejus unitas consistit in subordinatione voluntatis humanæ, quas omnes partes extrinsece ordinantur ad suos fines. 2. pars essentialis compositi moralis est, quam voluntas humana in sua ordinatione absolutè requirit; & ad quam præsumitur immediatè respicere in institutione sui compositi. 3. Sicut voluntas humana pro diversitate temporum diversas partes ad constitutionem sui compositi requirere potest; ita revera successu temporum potest idem compositum morale constare diversis partibus essentialibus; adeoque compositum morale est aliquod totum successivum, constans partibus essentialibus successivè diversis; quia, non obstante hac diversitate, salvatur identitas compositi, nempe eadem ordinatio voluntatis humanæ. 4. Sicut voluntas humana est mutabilis pro diversitate circumstantiarum, manente licet eadem intentione ac subordinatione mediorum ad finem; ita etiam essentia compositi moralis secundum quid mutari potest, quin mutetur simpliciter. Hæc mutatio tamdiu fieri potest, quamdiu voluntas humana, à qua dependet compositum, in compositum agere potest. Voluntas hæc aliquando morte volentis exspirat; aliquando compositum dependet à voluntate immutabili demortui; nonnunquam voluntati demortui substituitur voluntas viventis; fit etiam, ut compositum dependeat à voluntate authoritatis publicæ, quæ nunquam moritur. 5. Identitas, aut differentia specifica compositorum moralium non debet desumi ab identitate partium essentialium, sed ab identitate voluntatis ordinantis etiam diversissimas partes ad eundem finem ultimò ab hac voluntate intentum. 6. Essentia compositi moralis non convenit singulis membris ac partibus totius compositi; quia v. g. non quivis civis est tota respublica, aut perficit omnes actiones totius reipublicæ; quin nec integræ communitates sunt tota respublica; sicut partes hominis non sunt homo. 7. Identitas ac distinctio compositorum moralium dependet ab arbitraria æstimatione hominum, quia bonum publicum exigit, ut in æstimatione voluntatis humanæ stetur arbitrio hominum.


SYSTEMA PLANETARIUM.

QUIES TERRÆ

Adversus Copernicanos stabilita

à

R. D. Eusebio Amort, in antiquissima Ecclesia Pollingana Canonico Regulari Lateranensi, ac Philosophiæ Professore.



PROŒMIUM.



Eleberrima & graviſſima certè præſenti ſæculo quæſtio eſt, cœlumne, an terra quieſcat? Quies terræ tota ferè ſui mole innitur oraculo Urbani VIII, qui ſolenni Bullâ terram ſtare, & doctrinam oppoſitam ſcholis exceſſe juſſit. Syſtema tamen Copernicanum non ſectarii tantum, ſed & Catholici Aſtronomi hodie ſectantur plerique, nullam Scripturis ac decreto Pontificio metuentes injuriam à veritate jam demonſtratâ.

Ita ſane gloriantur buccis crepantibus, qui nihil non contra quietem terræ moliuntur: audiamus hos inter præcentorem quempiam, Guilielmum, Whiſtonum, Anglum, hominem doctrina celebrem, impietate Ariana notiorem. Hic Prælectione-Aſtronomica 4 in Univerſitate Cantabrigienſi habita 1701. ſic ait: Quanta cum cura & ſtudio in hoc negotium (Parallaxis annuæ) incubue-

rint Copernicani, nemo dubitaverit, qui ex hac annua parallaxi annuum telluris motum non persuaderi modo, sed & certò demonstrari posse agnoverit- quam quidem Parallaxin Hookii & Flamstœdii nostratium diligentia tandem aliquando in lucem protraxit, atque eo pacto Systema mundi Copernicanum non solum ab omni scrupulo liberavit, sed & omni procul dubio certum & demonstratum dedit; ita Whistonus, & alii Astronomi plerique.

Impossibile erat Romam non expergisci ad tantam jactantiam: hinc impigrè tam in Italia quam Gallia demonstrata est Flamstœdianæ demonstrationis vanitas. D. Cassinus junior jam 1699. ostendit observationes Flamstœdianas alias esse, quàm oporteret in Systemate Copernicano, ut videre est in Memoriis Academiæ Regiæ Paris. 1699. & idem Professor Matheseos Romanus edito ante triennium docto problemate dicitur evicisse.

Veruntamen ex eo nondum causa Copernici propulsata est: licet enim observationes stellæ polaris Flamstœdianæ votis Copernicanorum non ad amussim responderint; eisdem tamen responderunt observationes, quæ ab Academia Regia Parisiensi circa Sirium institutæ, & 1717. in Memorias ejusdem Academiæ

miæ relatæ ſunt. Ipſemet Caſſinus junior victas tandem dare videtur manus, & ii, qui hactenus in Gallia Syſtema Copernicanum pro hypotheſi ſolùm vendiderunt, in reverentiam tantummodo decreti Pontificii id communiter præſtiterunt, ut ex amicorum meorum quopiam Pariſiis Bibliothecæ non ignobili præfecto intellexi. Nec deſunt in Italia, qui placita Newtoniana, atque Syſtema Copernicanum amplectuntur. Exemplum præbet Joannes Polenus in ſuo opere de Vorticibus cœleſtibus Patavii edito. Omitto enarrationem aliorum libellorum in gratiam Copernicanorum liberrimè prodeuntium.

Quò ergo tandem ſpes antiqui dogmatis inclinata recumbit? num prætenſis demonſtrationibus aut ſaltem morali evidentiæ rationis ſolam opponemus authoritatem Romani decreti? At decretum iſtud non nititur contra evidentiam, & ſi aliquando Copernicani certiora pro inſolito dogmate argumenta afferant, ſponte ſua fiet licitum, quod antea ob temeritatem ac ſcandalum fuerat prohibendum: ita ſane colligitur ex reſcripto P. Fabri S. J. Pœnitentiarii ad S. Petrum Romæ, in hæc verba reſcribentis: Ex veſtris Coryphæis non ſemel quæſitum eſt, utrum haberent aliquam pro terræ motu demonſtrationem? nunquam


nunquam ausi sunt id asserere: Nil igitur obstat, quin loca illa in sensu litterali Ecclesia intelligat, & intelligenda esse declaret, quamdiu nulla demonstratione contrarium evincitur, quæ si forte aliquando à vobis excogitetur (quod vix crediderim) in hoc casu nullo modo dubitabit Ecclesia declarare, loca illa in sensu figurato, & improprio intelligenda esse, ut illud Poetæ, Terræque Urbesque recedunt. Rescriptum istud insertum est jam anno 1665. Actis Societatis Regiæ Anglicanæ Mense Junio.


Quis jam non videat, rationibus magis, quàm authoritate adversus Copernicanos agendum esse, postquam demonstratio non una tantum in vulgus ab iisdem jactata est? Ego quidem, cum in hoc studiorum genere horis subsecivis tentarem vires meas, in systema incidi, horridum adhuc & incultum, embrioni simillimum, quod si excoleretur, spectata sola ratione credibile futurum sperabam, Terram quiescere.

Accipe igitur, Amice Lector, Systema Universi, indigestum adhuc, ac velut primi diei informe opus, & serva in diem alterum. Erit forte, qui divinas cupidus æmulari artes

ἐξ ἀμόρφου ὕλης condet novos cœlos
humana manu.

SYSTE





SYSTEMA PLANETARUM.

Caput I.

De Situ Planetarum.



Erra in medio Universi stat immobilis. Hanc ambit aër, 1
qui ad lunam usque, altitudine 63. semidiametrorum terræ, extenditur.

Luna natat in atmosphæra terram ambientis aëris; & 2
ideò totam atmosphæram aëris à terra ad lunam usque porrecti simpliciter *Atmospharam Lunarem* voco. Hanc atmosphæram lunarem circumdat alia atmosphæra subtilior, quæ ad solem usque, altitudine 34000. semidiametrorum terrestrium, expanditur: Sol in hac atmosphæra natat, ac circa terram revolvitur; hinc eandem *Atmospharam Solarem* nomino.

Sol natat in *Atmosphara Solari*: supra hanc datur alia Atmosphæra 3
subtilior, quæ ad Martem usque, altitudine mediocri 52000. semidiametrorum terrestrium, extollitur: Mars in hac atmosphæra natat, & ideo eandem *Atmospharam Martis* appello.

Mars natat in *atmosphara Martis*: huic circumvolvitur quarta at- 4
mosphæra tribus inferioribus longe subtilior, quæ pertingit usque ad Jovem, & à terra in mediocri altitudine 179259. semidiametris terrestribus e novetur. Jupiter in atmosphæra ista navigat, & ob hoc eandem *Jovis Atmospharam* voco.

Jupiter natat in *atmosphara Jovis*: hanc quinta alia atmosphæra ei 5
circumplectitur, quatuor inferioribus atmosphæris longè subtilior; quæ, du n ad Saturnum usque evehitur, altitudine mediocri terram 327544. semidiametris terrestribus superat. Officium illius est, ut Saturnum circum terram deferat; & ideò eandem *Atmospharam Saturni* voco.

B *Satur-*

6 *Saturnus* natat in *atmosphæra Saturni*: huic circumducitur alia atmosphæra adhuc subtilior, quæ ab atmosphæra Saturni usque ad stellas fixas per immensa spatia extenditur: in eadem vagantur ac deferuntur Cometæ, & ob hoc *atmosphæra Cometarum* dici potest.

7 *Cometæ* natant in *atmosphæra Cometarum* ordine sextâ. Post hanc sequuntur plures aliæ atmosphæræ, quæ & subtilitate differunt, & situ secundum diversam à terra distantiam à se invicem distinguuntur. In iisdem devehuntur circa terram stellæ fixæ, & ob hoc uno nomine, *Atmosphæra stellarum*, omnes simul comprehendi possunt.

8 *Stellæ fixæ* natant in *atmosphæra stellarum* ordine septima. Hanc denique ambit atmosphæra octava, omnium subtilissima; quæ, dum motu suo rapidissimo circa terram quotidie revolvitur, simul inferioribus atmosphæris motum impertitur; & ob hoc atmosphæram hanc octavam *Primum Mobile* nomino.

9 *Cœlum Empyræum* collocatur supra *atmosphæram* Primi Mobilis; estque immobile.

10 *Planetæ secundarii* sunt undecim, nempe Mercurius & Venus, qui moventur circum Solem; quatuor satellites Jovis, qui gyrantur circum Jovem; quinque satellites Saturni, qui revolvuntur circum Saturnum. Omnes hi Planetæ natant in atmosphæris propriis, quibus nomen suum imponunt.

11 *Mercurius* proin natat in *atmosphæra Mercurii*, seu atmosphæra illa, quæ à sole ad Mercurium in distantia 13000. semidiametrorum terrestrium extenditur; eadem Solem ambit, sicut atmosphæra nostri aëris ambit terram. Sicut tamen atmosphæram aeris seu Lunarem ambit atmosphæra subtilior, nempe Solaris, ita etiam atmosphæram Mercurii ambit alia atmosphæra subtilior, in qua circum Solem revolvitur Venus, & quæ ob hoc ipsum vocetur *atmosphæra Veneris*.

12 *Venus* natat in *atmosphæra Veneris*, quæ à sole usque ad Venerem in distantia 24800. semidiametrorum terrestrium porrigitur.

Quatuor Satellites Jovis natant in totidem atmosphæris circumjovialibus, densitate ac raritate diversis, quarum à Jove distantia tanta est, quanta est ipsorum satellitum. Est autem in diametris ♃ distantia Satellitis

1.	2. $\frac{5}{6}$	diam: Jovis
2.	4. $\frac{1}{2}$	
3.	7. $\frac{1}{6}$	
4.	12. $\frac{2}{3}$	

In se-

In ſemidiametris terræ verò eſt illa diſtantia

Satellitis	1.	166.
	2.	249.
	3.	388.
	4.	884.

Quinque Satellites Saturni natant in totidem atmosphæris circumſatur- 14
niis, denſicate ac raritate inter ſe diverſis, quarum à Saturno diſtantia tanta eſt, quanta eſt ipſorum ſatellitum. Ea verò in diametris annuli circumſaturnii

eſt in Satellite	1.	[illegible]
	2.	1. [illegible]
	3.	1. [illegible]
	4.	4. —
	5.	12. —

Eadem diſtantia in ſemidiametris terræ eſt in

Satellite	1.	90.
	2.	112.
	3.	150.
	4.	364.
	5.	904.

Caput 2.

De Atmosphæris Planetarum.

IN atmosphæris Planetarum tria conſidero, 1. earum naturam, nempe 1
raritatem, denſitatem, ſubtilitatem, fluiditatem, elaſticitatem, volubilitatem, reſiſtentiam &c. 2. Earum figuram Ellipticam. 3. Earum Excentricitatem.

Dico 1. Atmosphæram quamcunque ſuperiorem eam habere propor- 2
tionem ad atmosphæram inferiorem, quam habet aer ad aquam. Hinc atmosphæra Solaris tantundem raritate, ſubtilitate, levitate, fluiditate, elaſticitate &c. ſuperat atmosphæram lunarem, quantum aer raritate, fluiditate &c. ſuperat aquam: idem debet dici de atmosphæra Martis reſpectu atmosphæræ ſolaris, & de atmosphæra Jovis reſpectu atmosphæræ Martis; & ſic de aliis. Quanquam etiam alia minor proportio ſtatui poſſet.

3 Dico 2. Atmosphæra Lunaris habet figuram Ellipticam, ea lege, ut in foco Ellipseos inferiore posita sit terra; in foco vero superiore positum sit centrum atmosphæræ lunaris, in quod omnes partes atmosphæræ lunaris nisu perpetuo graviten, ac tendant. Officium hujus centri est, ut in illo omnes partes atmosphæræ lunaris æquilibrentur, & mediante æquilibrio à dissolutione præserventur.

4 Dico 3. **Atmosphæra solaris habet figuram Ellipticam, ea lege, ut in foco Ellipseos inferiore posita sit atmosphæra lunaris; in foco verò superiore positum sit centrum atmosphæræ solaris, in quod omnes partes atmosphæræ solaris nisu perpetuo gravitent; centrum hoc omnes partes massæ fluidæ in æquilibrio, totamque atmosphæram solarem à dissolutione conservat.**

5 Dico 4. Atmosphæram Martis, Jovis, & Saturni eadem lege, eodem fine esse Ellipticam. Itaque in foco inferiore atmosphæræ Ellipticæ Martis posita est atmosphæra solaris cum omnibus suis partibus à se contentis; in foco verò superiore collocatum est centrum atmosphæræ Martis, in quod omnes massæ illius fluidæ partes æquilibrantur. Similiter in foco inferiore atmosphæra Martis; & in foco inferiore atmosphæræ Ellipticæ Saturni posita est atmosphæra Jovis: in foco verò superiore semper constituitur centrum cujusque atmosphæræ.

6 Dico 5. Atmosphæras Planetarum, quo propiores sunt primo mobili, eò magis accedere ad figuram circularem; ob majorem fluibilitatem suarum partium.

7 Dico 6. Centrum atmosphæræ lunaris à terra distare $7\frac{1}{3}$ semidiametris terræ. Cum enim excentricitas lunæ in partibus Radii 100000. sit 6343. fiet: ut se habet 106343. distantia ☾ à ⊖ in partibus radii: ad

63. Distantiam maximam ☾ à ⊖ in semidiametris ⊖: ita

6343. Excentricitas in partibus radii: ad

$3.\frac{9}{10}$ Excentricitatem in partibus semidiametrorum ⊖ adeoque distantia focorum erit $7.\frac{6}{10}$. semidiametrorum ⊖.

8 Dico 7. Centrum atmosphæræ solaris à centro ⊖ distare 1140. semidiametris terræ; ab atmosphæra lunari verò id distare 1077. semidiametris ⊖. Cùm enim Excentricitas solis in partibus Radii 100000. sit 1658. dicere poteris:

Ut se habet distantia ☉ à ⊖.	=	101658.
Ad distantiam maximam in semid:		35000.
Ita Excentricitas in Part: radii,		1658.
Ad Excent. in semid: ⊖.		570. quæ

duplicata dat distantiam focorum.

Dico

Dico 8. Centrum atmosphæræ Martis removetur ab atmosphæra Veneris ad summum 2000. semidiametris ⊖. 9

Universim focorum superiorum seu centrorum ab atmosphæra inferiori distantia decrescit in proportione ad diametrum atmosphæræ maximam. 10

Hinc distantia centri in atmosphæra lunari est	$\frac{7\frac{3}{5}}{118}$	—	$\frac{1}{12}$
In atmosphæra solari est	$\frac{1077}{40000}$	—	$\frac{1}{40}$
In atmosphæra Martis est	$\frac{2000}{30000}$	—	$\frac{1}{15}$
In atmosphæra Jovis est	$\frac{4000}{360000}$	—	$\frac{1}{90}$
In atmosphæra Saturni est	$\frac{6000}{874000}$	—	$\frac{1}{108}$

Dico 10. Atmosphæra cujuslibet Planetæ describitur è duobus focis; 11 quorum superior existit in centro atmosphæræ describendæ; alter verò focus inferior existit in medio atmosphæræ inferioris. Hinc atmosphæra Martis habet suum focum inferiorem in medio atmosphæræ solaris, nempe in distantia 15000. semidiametrorum terrestrium, si totus atmosphæræ solaris axis major ponatur habere 40000 semidiametros terræ; & maxima solis à terra distantia ponatur esse 35000. semid. ⊖.

Hinc in atmosphæra cujuslibet Planetæ poterit inveniri proportio inter axem majorem & minorem; & æquationes Planetarum superiorum reperientur aliquantum diversæ ab iis, quæ hactenus Excentricitati usitatæ parum feliciter superstructæ sunt: licet enim æquationes usitatæ satis cœlo conformes sint, eædem tamen conformes non sunt receptæ Excentricitati, ut vel è solis æquationibus lunæ intelligi potest. 12

Caput 3.

De Motu Raptûs Planetarum.

PRimum mobile movetur ab oriente in occidentem, & intra 24. horarum spatium totum suum cursum peragit; simulque omnes reliquas atmosphæras secum rapiendo circumagit. Id fit partim, quia subtilissimæ materia primi mobilis omnes atmosphæras penetrat, easdemque motu suo ad motum stimulat; partim verò, quia atmosphæræ sibi tam arctè invicem incumbunt, ut nequeat moveri superior, quin moveatur simul inferior. Optime hunc motum raptûs exhibent diversi liquores v. g. aqua & 1

 oleum,

oleum, amplo rotundo vasi immissi: fieri enim non potest, ut circumagatur liquor à centro remotior, quin simul liquor centro vicinior abripiatur.

2 Atmosphæræ Planetarum non assequuntur motum Primi mobilis: adeoque serius post revolutionem ad idem punctum revertuntur.

3 Atmosphæræ Planetarum, quo viciniores sunt centro, eò tardius assequuntur motum primi mobilis; quò verò primo mobili sunt viciniores, eò magis assequuntur motum Primi mobilis. Id fit partim, quia atmosphæræ inferiores sunt crassiores, adeoque ad motum ineptiores; partim verò, quia subtilis materia primi mobilis, quæ omnes atmosphæras penetrando easdem ad motum stimulat, minori quantitate distribuitur in atmosphæras inferiores, quàm superiores. Veritas assertionis non solum patet ex mechanicis, ubi virtus motrix, quo vicinius applicatur centro, eò majorem invenit resistentiam; sed etiam ex legibus fluidorum, v. g. fluminum, quorum partes superiores velocius moventur, quàm inferiores. Et exhiberi insuper potest in diversis liquoribus circa idem centrum circumactis.

4 Hinc Planetæ in atmosphæris natantes, dum non assequuntur motum primi mobilis, videntur moveri ab occidente in orientem.

5 Motus Planetarum in atmosphæris natantium ab occidente in orientem cæteris paribus est proportionalis distantiis Planetarum à centro terræ, aut primo mobili in densitatem cujusvis atmosphæræ ductis. Sensus est, quod motus Planetarum in orientem eo sit minor, quo minor est illorum distantia à primo mobili, & quo major atmosphæræ subtilitas; ita tamen ut massa totius atmosphæræ multiplicetur per distantiam, & tres illi factores, nempe distantia, densitas, & massa prius ante multiplicationem eleventur ad diversas dignitates, ob inæqualem vim.

6 Hinc motus diurnus versus orientem est in stellis.

	°	'	''	'''
	—.	—.	—.	9.
♄.	—.	2.	1.	=
♃.	—.	4.	59.	
♂.	—.	31.	27.	
☉.	—.	59.	8.	
☽.	13.	10.	35.	

7 **Similiter in Planetis secundariis eo tardior est revolutio circa Planetam primarium, quo major est illorum à Planeta primario distantia, in densitatem atmosphæræ suæ ducta.**

Hinc

			dies	H			
Hinc revolutio	☿.	ſit.	87.	23.	14.	24.	8
	♀.		224.	17.	44.	55.	
Satellitum ♃	1.		1.	18.	28.	36.	
	2.		3.	13.	17.	54.	
	3.		7.	3.	59.	39.	
	4.		16.	18.	5.	7.	
Satellitum ♄.	1.		1.	21.	18.	31.	
	2.		2.	17.	41.	27.	
	3.		4.	13.	47.	16.	
	4.		15.	22.	41.	11.	
	5.		79.	7.	53.	57.	

An verò quadrata temporum ſe habeant, ut cubi diſtantiarum in revolutionibus Planetarum, tutò affirmari non poteſt, ſaltem reſpectu Planetarum circa diverſa centra revolventium v. g. ſatellitum ♄. ♃. ☽. ☿. ♀. 9

Hoc ſolùm adhuc obſervo, Planetis in ſua atmoſphæra velocius ſequi motum primi mobilis, quàm ipſam atmoſphæram, in qua deferuntur; quia cùm ſint denſioris conſiſtentiæ, & in fluido rariori ſe navigent, eò fortius recipiunt impetum ſubtilis materiæ atque atmoſphæræ ſupra ſe præterluentis. 10

Hinc, quo Planetæ molis, aut denſitatis majoris ſunt, eò cæteris paribus ſequuntur promptius motum primi mobilis. Ex quo manifeſtum fit, ad ſolam diſtantiam Planetarum à centro communi attendi non poſſe, dum de illorum periodicis revolutionibus agitur. 11

Caput 4.

De Motu vertiginis Planetarum.

JUpiter, Mars, Sol, & Venus moventur circa axem proprium ab occidente in orientem. Ratio eſt, quia Planeta inſtar globi lignei dimidia ſui parte atmoſphæræ inferiori immergitur; dimidia verò ſui parte atmoſphæræ ſuperiori inſeritur: dum igitur atmoſphæra ſuperior, promptius ſequendo motum primi mobilis, velocius tranſit, quam atmoſphæra inferior; Planetam, inſtar trochleæ, cui ſuperiore parte applicatur, circumvolvit. 1

vit.

vit. Cumque attractio ab atmosphæra superiori facta tendat in occidentem, necesse est, ut revolutio Planetæ, tanquam trochleæ, fiat in partem oppositam, nempe in orientem.

2 Atmosphæræ Planetarum secundariorum moventur simili motu vertiginis ab occidente in orientem. Dum enim omnes hæ atmosphæræ dimidia sui parte immerguntur atmosphæræ inferiori, densiori; dimidia verò sui parte inferuntur atmosphæræ superiori pariter ab atmosphæra superiori versus occidentem celerius transeunte attrahuntur, ac instar trochleæ circumvolvuntur.

3 Hinc revolutiones periodicæ satellitum Saturni & Jovis; item, Mercurii, & Veneris magis dependent ac metiendæ sunt ex motu vertiginis atmosphæræ suæ, quam à viribus centripetis, aut centrifugis.

4 Quilibet Planeta, aut atmosphæra eò promptius ac celerius peragit motum vertiginis, quò longius inferitur atmosphæræ superiori, aut quo motus atmosphæræ superioris est fortior, aut quo attractio atmosphæræ superioris immediatius ac efficacius applicatur; aut quo minor est tenacitas ac resistentia atmosphæræ inferioris.

5 Hinc atmosphæra ultimi satellitis in Saturno & Jove motu vertiginis tardius peragit revolutionem suam, quam atmosphæra quælibet interioris satellitis; & atmosphæra Veneris respective tardius motu vertiginis evolvit peripheriam suam, quàm Mercurius: quia ob subtilitatem atmosphæræ exterioris attractio minores habet vires, partibus non tam firmiter cohærentibus, & resistentia atmosphæræ inferioris evadit magis sensibilis.

6 Ex complicatione omnium prædictarum conditionum ad motum vertiginis, fit; ut motus vertiginis absolvatur

		diebus	H	'
in	♃.	—.	9.	6.
	♂.	—.	24.	40.
	☉.	27.	—.	—.
	♀.	—.	24.	—.

7 Potest etiam fieri; ut ad motum vertiginis atque attractionis multum contribuat asperitas partium, magnitudo corporis gyrantis, ac densitas, ob quorum ex parte defectum Saturnus, Mercurius, & Luna forte non moventur motu vertiginis saltem periodico ac totali, licet librationes menstruæ lunares in hanc causam referri possint. Accedit, quod crassities atmosphæræ lunaris potissimum impediat, ne à remisso subtilis materiæ & atmosphæræ solaris impetu revolvatur circa axem proprium.

Caput

Caput 5.

De Apogeo, & Perigeo Planetarum.

Apogeum voco illud cujusvis atmosphæræ Planetariæ punctum, 1
quod linea à terra vel planeta primario per centrum atmosphæræ ducta ad peripheriam determinat; Punctum verò apogeo è diametro oppositum Perigeum voco.

In Apogeo per se maxima est cujusvis Planetæ à terra distan- 2
tia. Ratio est, quia, dum partes atmosphæræ in centrum suum confluunt, vehementi tali partium affluxu atmosphæra ex illa parte distenditur, & Planeta cum atmosphæra simul attollitur.

Universim ibi maxima est Planetæ à terris distantia, ubi maxi- 3
ma est atmosphæræ Planetariæ rarefactio. Ratio est, quia omnes atmosphæræ, quo subtiliores sunt, eò magis rarefactioni subjectæ sunt; cùm igitur atmosphæra nostri aëris per rarefactionem secum vapores & nubes ad majorem altitudinem attollat, idem de atmosphæris Planetarum cogitandum est.

Hinc maxima cujusvis Planetæ superioris distantia est in conjun- 4
ctione cum sole. Quia ob viciniam solis atmosphæra Planetarum per rarefactionem tunc distenditur, atque cum Planeta attollitur.

Distantia verò Planetarum superiorum omnium maxima fit, 5
quando Planeta in suo apogeo cum sole conjungitur: Quia in hoc casu ex duplici capite augetur distantia Planetæ, nempe ex rarefactione atmosphæræ ob viciniam solis, & ex affluxu partium ad suum centrum.

Apogeum Planetarum movetur ab occidente in orientem: 6
Quia centrum cujuslibet atmosphæræ ob compressionem partium ibi confluentium densius est cæteris suæ atmosphæræ partibus, & ideo difficilius sequitur motum primi mobilis. Nec obstat, quod alia corpora, quo densiora sunt, & facilius recipiant impetum primi mobilis, ac celerius sequantur primum mobile: id enim solùm verum est de corporibus liberrimè in fluido rariori se natantibus, quale corpus non est centrum atmosphæræ seu apogeum.

Hinc fit, ut apogea Planetarum, quo densiora sunt, & quò 7
magis distant à primo mobili, eo difficilius sequantur motum primi

mobilis, aut motum atmosphæræ suæ. Et propterea fit, ut motus annuus apogei in orientem respectu atmosphæræ suæ sit

		s	°	'	''
in	☾.	1.	10.	30.	51.
	☉.	—.	—.	—.	50.
	♂.	—.	—.	1.	7.
	♃.	—.	—.	1.	34.
	♄.	—.	—.	1.	22.

8 Apogeum lunare maximam à terra habet distantiam in Syzygiis; & quo Syzygiis propior est, eò major est apogei lunaris à terris distantia. Ratio est, quia prope Syzygias major est atmosphæræ lunaris rarefactio, facta à radiis solaribus directis. Nec obstat, quod in oppositione solis videatur minor esse rarefactio; quia respectu radiorum solarium differentia illa, non excedens 118. semidiametros terræ, quæ intercedit inter conjunctionem & oppositionem, habetur pro exigua.

9 Hinc nulla est necessitas fingendi, Apogeum lunare à Syzygiis ad octantes progredi, ab octantibus verò regredi: Quia idem præstat atmosphæræ lunaris rarefactio, Planetam attollendo; quod præstat apogei progressio, aut regressio. Accedit, quod apogei progressio aut regressio non conveniat cum tabulis æquationum probatioribus.

10 Nemo tamen non videt, anomalias lunæ, quæ hactenus nullis paruerunt astronomorum legibus, dependere à complicatione causarum, in systemate physico atmosphæræ lunaris concurrentium.

11 Distantia solis à terra non tam dependet ab assensu ad apogeum, quam à rarefactione atmosphæræ solaris, quæ ubique solem sequitur. Nam, si atmosphæra solaris non rarefieret in suo perigeo, sol existens in perigeo vix distaret à terra 8000. semidiametris terræ, supposito, quod ipse Mars, dum est in oppositione, à terra solùm distet 13000. semidiametris terræ.




Caput

Caput 6.

De Progressione, Statione, ac Retrogradatione Planetarum.

INter præcipuas Superiorum Planetarum anomalias sunt Statio, 1
Retrogradatio ac vicinia ad terram, quæ nunquam contingunt,
nisi in oppositione ad solem.

Mars, Jupiter, & Saturnus fiunt retrogradi circa oppositionem 2
ad solem. Causa hujus effectus est sola refractio radiorum solarium,
qui, dum ex atmosphæra solari instar torrentis subtilissimi prorumpunt
in atmosphæram Martis, refringuntur, ac colliguntur in conum
radiosum. Idem fit, quando radii solares ex atmosphæra Martis
transeunt in atmosphæram Jovis, aut ex atmosphæra Jovis in atmosphæram
Saturni, quia tali in casu radii transeunt è medio densiori
in medium rarius. Conus iste radiosus tantum formatur ex oppositione
solis; quia ex parte conjunctionis Sol tanquàm in centro
cujusvis atmosphæræ Planetariæ spectari potest. Dico proin, Planetam
Martis, Jovis, aut Saturni ad talem conum radiosum delatum
regressurum. Ratio est, quia conus iste radiosus constat ex subtilissima
materia, adeoque, dum in illa Planetæ navigant, facilius assequuntur
motum primi mobilis, hoc est, regrediuntur.

Saturnus diutius est retrogradus, quàm Jupiter, & Jupi- 3
ter diutius est retrogradus, quàm Mars; Saturnus enim retrogradus
est diebus 140. Jupiter diebus 120. Mars diebus 73. Ratio
est, quia conus radiosus ex atmosphæra Jovis prorumpens in atmosphæram
Saturni majoris est diametri, quam conus radiosus prorumpens
ex atmosphæra Martis in atmosphæram Jovis: & hic majoris
est diametri, quàm conus radiosus profluens ex atmosphæra solari
in atmosphæram Martis. Adeoque sicut luna transeundo per
conum umbrosum terræ majoris diametri diutius obscuratur, ita
etiam Planetæ transeundo per conum radiosum majoris diametri diutius
manent in statu facilius assequendi impressionem primi mobilis,
& consequenter diutius regrediuntur.

Mars, Jupiter, & Saturnus, dum incipiunt & desinunt esse re- 4
trogradi, fiunt stationarii. Ratio est, quia circa latera coni radiosi

radii nondum sunt tam collecti, quàm circa medium; adeoque licet concilient Planetæ aliquam facilitatem sequendi impressionem primi mobilis ob aliquam raritatem ac subtilitatem fluidi; ea tamen facilitas tanta non est, ut prævaleat. Hinc Planeta videtur stare, eo quod nec progrediatur motu proprio liberè ob subtilitatem materiæ, nec omnino cedat impressioni primi mobilis.

5 Saturnus fit stationarius in distantia à sole quadrante paulo majore: Jupiter in distantia circiter 120. graduum: Mars verò in distantia longe majore. Ratio est, quia atmosphæra Saturni situm habet altiorem; adeoque etiam radii solares citius incidunt in limbum inferiorem; hinc sicut citius incurrunt in limbum respectivè convexiorem, ita etiam citius refringuntur. Cum igitur conus radiosus ex atmosphæra Jovis prorumpens in atmosphæram Saturnio incipiat in distantia ad solem respectivè ad terram pauló majore, mirum non est, quod in illa distantia jam incipiat statio Planetarum. Et eadem ratio est stationis ex altera parte, dum Planeta ab oppositione pergit ad conjunctionem.

6 Saturnus fit stationarius diebus 8. Jupiter diebus 4. Mars diebus 2. Ratio est, quia in cono radioso atmosphæræ remotioris versus latera radii non tam cito colliguntur, sicut in cono radioso atmosphæræ inferioris: hinc quia in cono atmosphæræ superioris non tam cito crescit raritas ac subtilitas torrentis conici radiosi, ideo etiam non tam cito augetur facilitas sequendi impressionem primi mobilis, & consequenter diutius planeta stat.

7 Retrogradatio Martis, Jovis, & Saturni omnium velocissima est in oppositione. Ratio est, quia in oppositione radii sunt magis collecti, adeoque ibi datur major fluidi subtilitas & facilitas sequendi impressionem primi mobilis.

8 Directio Martis, Jovis, & Saturni in conjunctione est velocissima. Ratio est, quia motus partium cujusvis atmosphæræ ab oriente in occidentem tardissimus est circa conjunctionem; adeoque eo major erit motus Planetæ ab occidente in orientem. Quod autem motus partium cujusvis atmosphæræ in conjunctione tardissimus sit, constat ex legibus motuum in fluidis: ex his enim constat, fluidum, quod movetur per se motu æquabili circa commune centrum, eò moveri velocius, quo viæ, per quas transit, angustiores sunt: id verò eò moveri tardius, quo viæ sunt ampliores. Cùm igitur circa conjunctionem ob rarefactionem vicini solis plurimum spatii detur fluido

fluido cujuslibet atmosphæræ, etiam motus in orientem eò tardior erit, & motus in occidentem respectivè celerior.

Saturnus per minorem arcum regreditur, quam Jupiter; & 9
Jupiter per minorem arcum regreditur, quam Mars. Ratio est, quia licet conus radiosus citius attingat Saturnum, quam Jovem, nempe in distantia à sole quadrante paulo majore, adeoque Saturnus transire debeat per conum radiosum, cujus diameter est fere 180. graduum, non tamen propterea Saturnus transibit arcum 180. graduum; quia Saturnus non transit per conum radiosum immotum; sed conus radiosus transit per Saturnum, aut immotum, aut nonnisi per aliquot gradus promotum. Licet igitur conus radiosus æquali tempore transeat per Martem, Jovem & Saturnum, postquam illos semel attigerit, non tamen interea tres illi Planetæ motu proprio vel directo vel retrogrado conficiunt æquale spatium. Interim tamen verum est, Saturnum diutius esse retrogradum, quam Jovem, quia citius involvitur cono radioso ex atmosphæra Jovis prorumpente, quàm Jupiter involvatur cono radioso ex atmosphæra Martis profluente.

Planetæ in oppositione sunt terræ viciniores. 10

Distantia minima	♂. à ⊖	est	13668.
Semidiametrorum terræ	♃.	est	136268.
	♄.	est	274532.

Ratio est, quia omnes atmosphæræ ex opposito solis immaniter condensantur, adeoque dum in angustissimum spatium coeunt, etiam Planetæ ad terram propius accedunt. Posset etiam dici, Planetam ad conum radiosum delatum subito profundè mergi, sicut navis oneraria ex aquis marinis in aquas subtiliores fluminum delata.

Hinc adverto, necesse non esse, ut atmosphæra Martis secet 11
atmosphæram Solis. Licet enim distantia minima Solis à terra in semidiametris terræ sit 33759. econtra distantia minima Martis tantum sit 13668. id tamen sine omni intersectione atmosphærarum fieri potest. Cum enim atmosphæra solis ex opposito solis partim ob condensationem, partim ob copiosum refluxum versus solem facillimè altitudinis suæ amittere possit $\frac{3}{4}$ tas partes, altitudo atmosphæræ solaris ex opposito solis tantum erit 8000. semidiametrorum ⊖. Igitur ob eandem causam diminuta altitudine atmosphæræ Martis, nempe ad altitudinem 5000. semid. ⊖. fiet distantia minima Martis 13000. semid. ⊖.

12 Mercurius & Venus fiunt retrogradi circa conjunctionem cum sole; iidem fiunt stationarii & directi. Sed horum phœnomenorum ratio æque in nostro systemate ex optica repeti potest, ac in systemate Copernicano, ut consideranti patet.

13 Id solum adverto, ad anomalias motuum in Venere & Mercurio multum conferre posse transitum eorum ex atmosphæra solari in atmosphæram Martis: licet enim in propriis suis atmosphæris revolvantur, facile tamen fieri potest, ut ob raritatem vel densitatem vicinæ atmosphæræ facilius aut difficilius motum primi mobilis assequuntur. Actio etiam lucis in cono radioso vel ope pressionis, vel attractionis, vel rarefactionis multum confert ad anomaliam Planetarum superiorum.

Caput 7.

De motu Planetarum in Latitudinem.

1 Latitudo Planetarum, excepto Saturno, eo major est, quo sunt terræ viciniores: nam latitudo

	o	'	''
Saturni est	26.	2.	30.
Jovis	24.	48.	20.
Martis	25.	20.	—
Solis	23.	29.	—
Lunæ	28.	47.	—

2 Ratio est, quia circa æquatorem à summo cœlorum usque ad terram pertransit omnes Planetarum atmosphæras torrens subtilissimæ materiæ; latitudo hujus torrentis physicè quidem decrescit in atmosphæris inferioribus ob decrementum partium, & refractiones, quas subit à convexitate cujuslibet atmosphæræ; opticè tamen crescit ob viciniam, in qua sub majori angulo cernitur. Si quæras, ex quo fonte hic torrens scaturiat? dico eundem oriri ex motu rapidissimo totius nostri universi circa æquatorem; necesse igitur est, ut omnes partes subtilissimæ tam in primo mobili, quam in reliquis atmosphæris versus æquatorem confluant; cumque materia illa subtilissima, ac circa æquatorem rapidissima è primo mobilis in atmosphæram

sphæram stellarum, ac exinde in alias inferiores atmosphæras irruat, perpetuus torrens circa æquatorem nascitur. Idea hujus torrentis habetur in lapide coticulari, aquâ perfuso; lapide enim motu rapidissimo circumacto aqua magna sui parte versus medium segmenti sphærici confluet.

Latitudo Saturni major est, quam latitudo Jovis: quia in atmosphæra Saturni latitudo torrentis physicè quidem major est ob materiæ subtilis abundantiam, minoremque convexitatem minor refractio; latitudo verò visa ob nimiam distantiam non multò minor. Constat enim differentiam magnitudinum visam non esse proportionalem distantiis. 3

Omnes Planetæ moventur ab uno limite ad alterum; idque reciprocatione perpetua. Ratio est, quia torrens subtilis materiæ per æquatorem ad certam latitudinem utrinque diffusus, utrinque invenit materiam densiorem, velut gemina littora. Quando igitur Planetæ ad littora ista appelluntur, à virtute elastica densioris hujus materiæ subito versus littus oppositum repelluntur; dumque Planeta ad littus oppositum appellitur, eodem modo reciprocatione perpetua repellitur. Neque necesse est in hac reciprocatione admittere fundamenta motûs perpetui, quia littora identidem acquirunt novam repellendi vim à motu laterali subtilis materiæ, à quo in fluctuatione perpetua detinentur. Sicut proin frustum ligni in stagno ventis agitato perpetuò ad littus appellitur, & ab eodem iterum ad certam distantiam repellitur; ita etiam Planeta tamdiu repelletur ab uno limite ad alterum, quamdiu fluctuatio limitum à motu laterali subtilis materiæ conservatur. 4

Planetæ, dum moventur ab uno limite ad alterum; non moventur linea recta, sed describunt lineam circularem. Ratio est, quia Planeta, dum rectâ viâ nititur ab uno limite pergere ad alterum, simul à motu primi mobilis abripitur ab oriente in occidentem; cumque constet ex legibus motuum, corpus viribus normaliter oppositis motum describere diagonalem, necesse est, etiam Planetam ingredi mediam inter duos illos motus, quorum unus est ab austro in septentrionem, alter ab oriente in occidentem. 5

Revolú-

6 Revolutio Planetarum inferiorum ab uno limite ad alterum est celerior, quàm superiorum: Nam motus periodicus

				′	″
Lunæ est	dies	27.	H. 7.	43.	8.
Solis		365.	5.	49.	
Martis. A. 1.		321.	23.	31.	
Jovis. A. 11.		317.	14.	49.	
Saturni. A. 29.		174.	4.	58.	

7 Ratio est, quia in Planetis superioribus spatium percurrendum majus est; actio verò limitum ob minorem densitatem remissior; insuper motus ab oriente in occidentem vehementior, qui impedit, ne diagonalis cum adverso tam citò concurrat.

8 Altera ratio tam latitudinis, quàm revolutionis Planetariæ ab uno limite ad alterum posset desumi à motu Pendulorum: constat enim Pendula ascendere ad eandem altitudinem, è qua deciderunt, nisi inquantum ab elasticitate aeris prohibentur: constat etiam, Pendula, quo longiora sunt, oscillationes peragere eò tardiores; oscillationes econtra Pendulorum eò esse celeriores, quo sunt ipsa breviora. Dico proin, nil impedire, quin Planetam concipiam instar Penduli, eo quod à viribus centripetis suspendantur è suo centro; à viribus verò centrifugis, sicut lapis gravitate sua tendit ad centrum, Planetæ nitantur recedere à centro. Igitur necesse erit, ut Planetæ superiores tanquam longiora Pendula oscillationes suas ab uno limite ad alterum absolvant tardius, quàm Planetæ inferiores, utpote Pendula breviora.

9 Latitudo Lunæ crescit in conjunctione & oppositione Solis ad Nodos Lunares. Ratio est, quia Sol rarefaciendo semitam Lunæ auget vires motrices, quibus Luna movetur ab uno limite ad alterum; & ideo prævalentibus his viribus diagonalis magis recedit ab æquatore: quàmprimum verò vires motrices, quibus Luna movetur ab oriente in occidentem, denuò crescunt, diagonalis, quam Luna motu composito describit, magis inclinatur in æquatorem.

10 Nodi omnium Planetarum moventur in consequentia. Ratio est, quia diagonalis, quam describit Planeta intra suos limites, oritur ex viribus motricibus compositis, quarum unius directio est in latitudinem, altera in longitudinem; quamprimum igitur augetur vis motrix in latitudinem, tunc diagonalis citius attinget limitem oppositum, & eoipso citius secabit Eclipticam. Dico igitur, singulis appulsibus, quibus Planeta appellitur ad limites, augeri vires motrices

trices limitum; quia limites ob densitatem materiæ habent elasticitatem, adeoque etiam receptum à Planeta impetum in eundem vi elastica longe majori refundent, ut constat ex legibus motuum in corporibus elasticis, maximè geometricè proportionalibus. Vel dici posset, Planetam quasi reflecti à suis limitibus, in quos obliquè impellitur, ita tamen, ut angulus reflexionis major sit angulo incidentiæ; nec id mirum videri debet in fluidis, cum manifeste cernamus laminam lapideam oblique in stagnum impulsam subsultare altius, quàm posceret angulus incidentiæ: fluida siquidem retrocedunt, & superficiem suam inclinant angulo incidentiæ, ex quo necesse est, angulum reflexionis fieri majorem.

Hinc motus Nodorum celerior est in Luna, quàm in Marte; & in Marte celerior, quàm in Jove. Motus siquidem an- 11
nuus

		s	°	'	''
☾	est	1.	10.	39.	51.
♂		—.	—.	—.	37.
♃		—.	—.	—.	14.
♄		—.	—.	1.	12.

Ratio est, quia limites inferioris Planetæ partim ob majorem densitatem pollent majori vi elastica, partim verò Planetæ appulso firmius inflectunt superficiem; partim verò, quia ob majorem respectivam latitudinem etiam angulus reflexionis sumit majus proportionaliter incrementum; ob quam ipsam causam motus nodorum etiam celerior est in Saturno, quam Jove, nisi quis dicere velit, limites Saturni densiores esse, quam limites Jovis & Martis, quia cæteris respectivè paribus magis distant à radiis solaribus.

		°	'	
Latitudo Mercurii	est	30.	21.	Veneris
verò latitudo	est	26.	52.	& ob hocipsum mo- 12

tus nodorum in Mercurio est celerior, nempe. 1'. 25''. in Venere verò tardior nempe. —. 46. Ratio est, quia torrens subtilis materiæ, utut refractus ab atmosphæra Veneris, respectivè latius se explicat in atmosphæra Mercurii, utpote angustiori. Hinc latius quidem vagari in sua atmosphæra poterit Mercurius, tanquam ab uno littore ad alterum, ut dictum est: sed angulus reflexionis majora sumet incrementa, & diagonalis ci-

 tius

tius attinget alterum limitem, ex quo provenit nodorum celerior motus.

Caput 8.

De Cometis.

1 COmetæ possunt oriri ab exhalationibus. Quia per continuam agitationem subtilis materiæ possunt separari partes Planetarum: possibile etiam est, quasdam partes atmosphæræ inferioris ita rarefieri, ut ascendat in atmosphæram superiorem, è qua facta iterata condensatione per modum nivis aut pluviæ, aut roris, aut nebulæ iterum descendat: vel possunt aliquæ partes atmosphæræ superioris, agitatione lucis forte destitutæ condensari, ut gravitate sua in atmosphæram descendere cogantur.

2. Cometæ aut alia phænomena possunt absolutè in qualibet atmosphæra nasci, id tamen regulariter non fit, quia vapores à vicinia solis citius dissipantur, quàm in tam vastum corpus perfectè colligi ac formari possint.

3 Cometæ possunt flammas concipere per accessum ad focum alicujus coni radiosi, de quo supra dictum; sicut enim radiis solaribus per vitrum causticum trajectis incenditur lignum, ita iisdem radiis per atmosphæras Planetarum refractis atque in focum collectis potest incendi cometa.

4 Zodiacus Planetarum est juxta Cassinum, Antinous, Pegasusque, Andromeda, Taurus, Orion, Procyon, atque Hydrus, Centaurus, Scorpius, Arcus. Ratio est, quia ubi de evaporationibus agitur, eæ intra Planetarum tropicos, nec procul omninò ab iis quærendæ sunt; vapores siquidem oriuntur ex congressione calidi cum humido; hinc ob nimiam actionem lucis intra tropicos Planetarum extra hos tropicos quidem ejiciuntur; at à plagis remotioribus versus hos tropicos, tanquam medium rarius propelluntur; sicut proin circa fenestras oriuntur humidi vapores, dum intrà calor, exterius verò

verò in aere frigus dominatur, sic cometæ circa Planetarum tropicos concrescunt.

Cometæ nonnunquam descendunt in atmosphæram Saturni, Jovis, Martis. Ratio est, quia juxta augmentum partium aus densitatis in cometa crescit etiam gravitas, in quo casu instar nebulæ præcipitantur. 5

Cometæ in descensu semper moventur velocius; in ascensu verò tardius. Ratio est, quia in descensu sumunt incrementum partium ab atmosphæris, quarum partes crassiores colligunt. Cometâ verò circa solis viciniam sensim dissoluto, diminuta gravitate, ascendunt tardius, nisi dissolutio aliquando celerius fiat. Eadem ratio est, cur Cometæ in descensu sumant incrementum lucis; in ascensu verò decrementum. 6

Idea ascensus & descensus Planetarum habetur in vase quopiam, quod, dum descendit ad fundum aquæ, in descensu ob haustam continuò majorem aquæ copiam, acceleratur; in fundo verò aperto altero orificio sensim iterum exoneratur, lentèque ascendit; qua ratione construi posse mobile perpetuum quidam opinati sunt, ut in Schotto videre est. 7

Cometæ, dum transeunt per atmosphæram Planetæ, afficiuntur motibus Planetarum; ita ut fiant directi, stationarii, retrogradi, instar Planetæ. Ratio est eadem, quæ in Planetis. 8

Cometæ in suo Perigeo moventur velocius. Quia afficiuntur à motu atmosphæræ, à qua deferuntur. Cùm igitur atmosphæræ inferiores moveantur velocius versus orientem, eundem motum Cometæ sequi debent. 9

Cometæ in descensu & ascensu describunt Hyperbolam. Ratio est, quia Cometæ ob gravitatem suam recta quidem linea nituntur tendere ad terram nostram; sed dum in via sunt, detorquentur versus solem, vel ob attractionem radiorum solarium, vel ob pressionem lateralem materiæ densioris versus materiam rariorem. Ex eodem principio dicendum, quod in ascensu nitantur quidem ascendere lineâ rectâ, sed à radiis solaribus successivè decrescentibus denuò in locum nativæ densitati congruum ejiciantur. 10

11 Cauda cometarum semper à sole avertitur. Ratio est, quia cauda nihil aliud est, quàm vapores rariores, quàm est caput cometæ: hi vapores vel circumdant cometam, ita tamen, ut radii solares per atmosphæram talem cometæ refracti nobis tantum sub sensus cadant ex adversa parte, ubi per refractionem magis collecti sunt; vel nativa sua levitate semper superiora petunt; adeoque, cum sole superiores sint, plagam aversam à sole.

12 Caput cometæ semper aliqua nubecula circumdatur. Ratio est, quia vapores circa caput densiores sunt.

13 Caudæ Cometarum variam figuram sortiuntur. Quia vapores à ventis auræ æthereæ diversimodè agitati instar nubium formantur.

14 Cauda Cometarum dissoluto capite aliquando remanet. Ratio est, quia radii solares aliquando facilius dissolvunt corpora densiora, quàm rariora. Vel dici potest, caudam quidem citius dissolvi; sed caput Cometæ sensim dissolutum præbere speciem novæ caudæ.

15 In locis, in quibus apparuerunt Cometæ, postmodum nonnunquam apparent tractus luminosi: quia nempe Cometa dissolutus quandoque in vapores tenues abit, sufficientes tamen reflectere lumen.

16 Finis Cometarum inter alios esse potest, ut purgent atmosphæras inferiores à particulis crassioribus, atque effluviis Planetarum, quæ successivè obfuscare possent atmosphæras.

Caput

Caput 9.

De Stellis.

ALiquæ stellæ, v. g. quæ est in collo cygni, habent suas revolutiones, suum apogeum, & perigeum; unde etiam fit, ut magnitudo apparens stellarum crescat & decrescat; aliquæ verò, dum ad suum apogeum perveniunt, omnino occultentur. Ratio est, quia non repugnat in atmosphæra stellarum dari atmosphæras quasdam secundarias, quales dantur in atmosphæra Saturni, Jovis, & solari. Vel potest dici, in superioribus atmosphæris stellarum locum habere conum radiosum, seu torrentem subtilissimum lucis; in quem, dum Planeta vel stella incidit, subitò, ut ita dicam, fundum petit, eo quod in tam subtili fluido navigare non possit; sicut navis oneraria è mari delata in flumen profundius mergitur. Inde fit, ut Planetæ & stellæ in tali situ propius ad terram accedant. 1

Finis stellarum est, 1. ut sint subjectum impetus, qui primo 2 mobili imprimitur; fluidum enim subtilissimum, quod replet spatia primi mobilis, tamdiu non conservaret impetum, nisi à corpore solidiori reciperetur. 2. Ut dentur centra luminis, seu subtilis materiæ, quæ nisi colligeretur in stellis, à concavitate cœlorum reflexa tanto impetu in inferiora irrueret, ut omnia statim dissolveret. 3. Ut materia subtilis è primo mobili in stellas impulsa moderatè ac diversimodè in inferiora reflectatur; ex hac enim reflexione dependent præcipui effectus naturæ: per actionem luminis taliter reflexi fluida conservantur in suo fluxu: per pressionem horum radiorum omnia gravia magna ex parte propelluntur versus terram; ex complicatione talium radiorum oriuntur varii motus minimarum partium in generabilibus & corruptibilibus, verbô, omnes generationes, corruptiones, alterationes tam in fossilibus, quàm plantis & animalibus ab actione radiorum hujusmodi stellarum dependent, nec impossibile est, Deum motus sublunarium motui radiorum musicè proportionalium alligasse. Omitto plures alios fines à Deo intendibiles.

3 Inter ſtellas numerari meretur Planetarum præcipuus, Sol. Sol enim haberi poteſt pro centro luminis ſeu ſubtilis materiæ, in quod omnes partes ſubtilis materiæ, quæcunque ſtagnant in atmosphæra Lunari, Solari, Martis, Jovis, & Saturni, ſeſe æquilibrando gravitant. Sicut enim omne fluidum habet centrum, circa quod omnes partes conglobantur; ſic etiam de ſubtili materia cogitandum eſt; &, quia in ipſa ſubtili materia diverſi gradus ſubtilitatis concipi poſſunt, ita centra quoque ſubtilis materiæ diverſa eſſe convenit; aliam proin ſtellam eſſe convenit in atmosphæris Planetarum, quam Solem nominamus; alias verò ſtellas in atmosphæris primo mobili vicinioribus, ubi ſubtilis materia ſubtilior eſt. Nec mirum eſt, me in materia ſubtili admittere diverſos gradus, cum in ipſis radiis ſolaribus dentur diverſi radii, ut Newtonus oſtendit.

4 Sol & ſtellæ Lumen quaquaverſum emittunt. Ratio, quia ſubtilis materia ad centrum magno niſu ac impetu confluens, ob nimiam compreſſionem partium earum magnam partem vehementer excutit. Multum tamen contribuit ſubtilis materia è primo mobili immediate ac rectâ via in ſolem impulſa, quæ ſoli perpetuam activitatem conciliat.

5 **Reliqui Planetæ non gaudent proprio lumine: quia materia lucis tota confluit ad Solem.**



Caput

Caput 10.

Fundamenta Systematis Copernicani dissolvuntur.

1. Constat ex observationibus certis; etiam Academiæ Regiæ Parisiensis stellam polarem, aut Sirium in solstitio brumali 45. minutis secundis depressiorem videri, quàm circa solstitium æstivale, quæ differentia vocatur Parallaxis annua: Copernican eam desumunt à situ terræ altiore vel depressiore. In nostro verò systemate à refractione radiorum, per atmosphæras diversæ densitatis aut raritatis transeuntium. Cum enim omnes atmosphæræ ex propinquitate ad solem immaniter rarefiant, adeoque versus illam partem plus materiæ confluat, necesse est, ut radii stellarum transeant plus materiæ, & sic fortius refringantur, quod fit tempore æstivo: eodem modo potest dici, quod tempore hyberno atmosphæræ sint contractiores, adeoque minus refringant cæteris paribus. Nec obstat, quod tempore hyberno aër noster fortius refringat; quia id non est adscribendum aëri præcise, sed evaporationibus heterogeneis tempore hyberno per conglaciationem aut condensationem crassioribus. 2. Posset dici, stellas rotari circa axem proprium, ac habere partes opacas, ut respondit Cassinus Junior. 3. Posset dici stellas habere motum proprium, prout constat de stella, quæ est in collo cygni. 4. Posset dici, stellas à vicinia solis physice magis premi versus polos, eò quod Sol dilatando auram æthercam eandem fluere faciat versus polos; hinc Sirius in æstate removetur à suo polo arctico, quia Sol tunc est in signis Borealibus, adeoque à Sirio remotior. 5. Posset dici, in ipsa observationis instrumenta irrepere varietatem ex dilatatione aut contractione, quæ semper proportionalis est affluxui subtilis materiæ in aëre nostro crescentis vel decrescentis.

2. Constat Lumen circumjovialium satellitum ex umbra Jovis emergentium decem circiter minutis citius deferri ad terram, dum Jupiter est in oppositione, Copernicani id referunt in viciniam terræ

ræ accedentis ad Jovem. Ego verò id refero ad viciniam Jovis accedentis ad terram; eò, quod atmosphæra Planetarum in oppositione ob Solis distantiam immaniter contrahatur; vel quod Planeta in torrentem subtilis materiæ, instar navis onerariæ delapsus, terris vicinior fiat.

3 Ex eodem fonte diluuntur argumenta Copernicanorum petita ex directione, statione, ac retrogradatione Planetarum, ut supra ostensum est.

4 Eadem ratio est, cur Planetæ in oppositione sint terræ propinquiores, quàm in conjunctione.

5 Reliqui Planetæ moventur circa solem tanquam centrum commune, & simul circa axem proprium: nil ob analogiam causarum & effectuum in universo connaturalius est, quàm ut idem terra præstet. Respondeo, Planetas æque posse revolvi circa terram, prout revolvuntur in nostro systemate: quod verò circa axem proprium circumagantur, nulla alia causa est, nisi quod in medio duorum fluidorum inæquali velocitate revolventium circa terram circumagantur.

6 Semidiametri & Periodi Planetarum in systemate gravitatis Newtoniano sunt proportionales eorum distantiis à Sole; ergo cùm terra in hoc Systemate servata proportione locum obtineat inter Martem & Venerem, videntur ipsæ leges naturæ requirere hunc terræ situm. Respondeo, systema illud Newtonianum, ne quid gravius dicam, niti falsissimis principiis. Dein non minor in nostro systemate est Planetarum inter se secundum leges gravitatis proportio. Corpora enim Planetarum proportionalia sunt, densitati & multitudini partium heterogenearum cujuslibet atmosphæræ, in qua coaluerunt.

7 Non videtur decere sapientiam conditoris omnia operantis modo simplicissimo tantam circumagere machinam, ut punctum possit quiescere: nec videntur assignari posse fines tot Planetarum secundariorum, nisi amplius quid sapiamus de immensitate divinorum operum. Respondeo, nos magis sollicitos esse debere, ut inveniа-

veniamus causam finalem, & analogiam divinorum operum in systemate Theologiæ, quàm Philosophiæ: si nos deficimus in isto, venialis error est; hærere in illo, periculosum: dicant enim adversarii, si plura sunt systemata Planetaria, cur verbum divinum pro puncto isthoc nostro carnem assumpsit in tempore? Nec multum promovet majestatem Dei immensitas materiæ, sed mentis; habet Deus tot universa, quot habet mundos intellectuales, angelicas mentes. Sapientia conditoris non numerum, sed ordinem ac subordinationem quærit.

Pro causa autem finali tam immensæ machinæ inter fines nobis cognitos assignari potest. 1. Ut sydera diverso suo motu sint causa omnium inferiorum; dicitur enim Deuter. IV. Quod creaverit ea Deus in ministerium cunctis gentibus. 2. Ut ex consideratione tantæ machinæ cor erigatur ad contemplandam majestatem Dei, & accendatur desiderio cœlestium juxta illud: ô Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus! Item: Videbo cœlos opera digitorum tuorum lunam & stellas, quæ tu fundasti. Item Sap. 13. à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. 3. Poterant servire angelis ante lapsum, supposito, quod in cœlo sydereo creati sint, juxta illud: In cœlum conscendam, supra astra exaltabo solium meum. Item in Apocalypsi de dracone dicitur, quod secum traxerit tertiam partem stellarum. 4. Possunt concentu suo servire beatis juxta illud Jobi 38. concentum cœli quis dormire facit: neque enim systema nostrum longè abest à systemate cœlorum harmonico. 5. Potest syderibus tanta concessa esse pulchritudo, ut serviat beatis ad gloriam. Juxta illud Jobi 26. Spiritus ejus ornavit cœlos. Item Eccl. 42. & 43. quis satiabitur videns gloriam ejus; altitudinis firmamentum pulchritudo ejus; species cœli in visione gloriæ; species cœli gloria stellarum: gyravit (Deus) cœlum in circuitu gloriæ suæ. 6. Ut exterior cœlorum aspectus alliceret curvas in terram animas, juxta illud: Quam sordet mihi terra, dum cœlum aspicio. Item: melior dies una in atriis tuis super millia. Item: Deficit anima mea in atria tua. Item: Inhabitabit in atriis domus tuæ. Cœlum utique sydereum atrii cœlestis nomine venit. 7. Ut hôc cœlô, quod Copernicani dedignantur, sublato, creetur novum, juxta illud: Homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum. Item: Cœ-

Sub æquatore minor eſt gravitas corporum, ut conſtat ex Pen- 12
dulis, id Copernicani tribuunt motui partium terreſtrium circa æquatorem vehementiori, adeoque majori vi centrifuga à terra recedentium. Reſpondeo, in hypotheſi terræ motæ gravitatem corporum verſus æquatorem debere eſſe majorem; quia ſicut vis centrifuga major eſt, ita etiam motus reflexionis corporum craſſiorum verſus centrum major eſſe debet. Dico igitur, minorem illam gravitatem provenire à raritate aëris minus elaſticitate ſua in ſubjectum corpus gravitantis; vel quia aër intra poros corporum cum ipſis corporibus aliquantum rareſcit: vel quia torrens ſubtilis materiæ circa æquatorem fortius in ſuperna reflectitur è terra.

Caput II.

Syſtema explicatum convenit cum legibus naturæ.

DUo ſolùm in hoc Syſtemate aſſumuntur Poſtulata, è quibus totius hypotheſis ſtructura dependet, atque conſequitur. 1. Dari atmoſphæras denſitate ac reliquis proprietatibus tam diverſas, quàm diverſa ſunt aqua & aër. 2. Omnes atmoſphæras habere centrum proprium, circa quod conglobantur. Utrùmque hoc poſtulátum modernis naturæ legibus conforme eſſe ajo.

Nam ſi examinemus liquores adhuc deliteſcentes in mixtis, reperimus infinitam propemodum varietatem: norunt Chymici tot è regno vegetabili extrahere oleorum genera, denſitate & aliis proprietatibus diverſa, ut fidem ſuperet: alii liquores ultro, à natura protruduntur, ut ſuccinum, balſamum. Alii violenta preſſione eliciuntur, ut oleum commune ex fructibus olivæ, vinum ex uvis; aquæ acidulæ è fructibus arborum. Si igitur ad analogiam cauſarum in na-

petas cum centrifugis conciliat, dum omnia gravitant mutuò in sese, simulque in centrum universi gravitate communi impelluntur.

Verùm mittamus nova ista sine novo sensu verba, sonum dan- 6
tia; rem verò jam ante annorum Chiliades antiquatam. Hoc solum tueor, legibus naturæ conforme esse, fluida circa centrum proprium conglobari. Habemus hujus rei exempla in Mercurio, cujus partes etiam minutissimæ non solùm conglobantur, sed etiam, quamprimum se mutuò attigerint, in unum globum coëunt. Guttæ aqueæ in aëre, licet rariori se, sphæram æmulantur: oleum in aqua; vitrum fusum guttatim destillatum in aquam; plumbum guttatim in aquam arsenico mixtam delapsum, induit rotunditatem; idem præstant concretæ frigore grandines. Quare nil insolitum naturæ admisero, si atmosphæras dixero conari, ut circa centrum proprium conglobentur, licet ab interjecto corpore impeditæ ad figuram Ellipticam quàm proxime torqueantur.

Caput 12.

Idem Systema conforme est Scripturis.

Non multùm aberrare videtur à C. 1. Geneseos, qui dixerit; 1
Deum ab initio creasse magnum Chaos, seu fluidum corpus è diversissimis partibus mixtum: prima operatio Dei in hoc chao erat, ut separaret materiam subtilissimam, seu materiam subtilissimam lucis, eamque in supremo loco proximè ad cœlum empyreum collocaret; hac prima proin operatione primum mobile, cœlo contiguum, absolutum est. Secunda Dei operatio erat, ut aquas, à subtilissima materia vi primæ operationis discretas, in varias atmosphæras subdivideret, ac stabili discrimine ob variam illarum aquarum densitatem discriminaret; fines illos, quibus una atmosphæra aquarum separatur ab altera, eò quod firmi ac immutabiles sint, vocavit firmamentum. Tertia Dei operatio erat, ut aquas crassiores, quæ per secundam operationem infimum locum obtinuerunt,

runt, denuò purgaret, dum partes densiores à rarioribus separatas in unum locum circa medium universi coire jussit: ex hac tertia operatione Dei per separationem partium prodiit terra nostra, aqua, & aër: & terram quidem nostram Deus statim ornavit herbis & arboribus. Quarta operatio Dei erat, ut materiam subtilem seu materiam lucis in atmosphæris ob pororum exilitatem adhuc residuam circa unum centrum conglobari juberet; simulque partes crassiores itidem in atmosphæris residuas in unum colligeret, atque circa centra subtilis materiæ, aut in atmosphæris collocaret: ex hac proin operatione prodierunt Planetæ, & Stellæ: & quia simul initium habuit pressio subtilis materiæ in sua centra, nempe in Solem, & Stellas, ideo etiam initium habuit actio lucis, seu ipsum lucere. Hanc expositionem systemati explicato conformem esse, nemo non videt; eandem verò optimè cum scriptura consentire, probo.

2 Totam Expositionis difficultatem ad duo præcipuè puncta reduco, 1. Quod Deus ab initio creaverit chaos. 2. Quod chaos istud Deus in varias atmosphæras diviserit: reliqua enim exiguam habere difficultatem existimo: neque hic discutiam, an divisionem subtilis materiæ, & aliarum atmosphærarum Deus perfecerit immediato sui oris imperio, an simul mediante aliqua agitatione materiæ, seu vento, qui in Scripturis sæpe Spiritus vocatur, prout etiam vox Hebraica רוח à spirando dicta exprimit.

3 Scriptura sic habet: Creavit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dico hunc esse sensum: Deum creasse cœlum empyreum, & terram, ita tamen, ut terra instar fluctuantis in aqua farinæ in chao illo magno usque ad cœlum empyreum expanso absorpta fuerit: chaos enim illud magnum sub nomine abyssi & aquarum comprehendi censeo.

4 Expositionem probat traditio omnium ferè nationum Moysi coævorum, aut proximè coævorum, quæ omnes ferè è chao aliquo mundum genitum esse dixerunt, ut ostendit Pererius in C. 1. Gen. num. 66. potissimùm verò textus Græcus, antiquæ versiones, & textus etiam Hebraicus: nam Symmachi versio expressè habet, terram fuisse

indige-

indigestum quid. Textus Græcus habet: *ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος*. Terra erat invisibilis & incomposita. Textus Hebraicus habet:

וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ

Constat autem voces *thohu*, & *bohu* proprie significare nihilum, vacuum, inane, vanum; verbô, rem nullam habentem subsistentiam, ac firmitatem; sicut cerevisia dicitur inanis, ubi parum inest solidi nutrimenti. Huc pertinet, quod sapientiæ C. 11. Deum creasse mundum ex cœno seu limo informi: *κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης*.

Divisio *τῦ χάος* in varias atmosphæras ex ipso quidem textu La- 5
tino satis colligitur, in quo dicitur, Deum separasse aquas inferiores à superioribus; magis tamen confirmatur à verbo Hebraico רָקִיעַ firmamentum, quod propriè significat extensionem seu expansionem. Item stabilimentum; quod pro condensatione ac præfinitione limitum aliquando accipitur: sic Isaiæ 44. dicitur, Deus stabilivisse terram רֹקַע הָאָרֶץ cùm tamen stabilitio terræ solum facta sit separatione partium: Ergo etiam firmamentum seu stabilitio cœlorum eodem modo facta est.

O. A. M. D. H.



SYSTEMA
ACCIDENTIUM.
ARS
CRITICA.

Autore R. D. Eusebio Amort Canonico Regulari Lateranensi Pollingano Philosophiæ Professore.



INDEX.

Procemium.

Pars 3.
De Interpretatione.

§. 11.

§. 11.

De Sensu Propositionum importantium aliquam Paritatem, Similitudinem aut Relationem.

§. 12.

De Sensu verborum Univoco, Analogo, Æquivoco, Adæquato, Inadæquato, & de Sensu Concretorum.

§. 13.

Observanda in Praxi Interpretationis.

Pars 4.

Summa Regularum Criticis Modernis familiarium.

§. 1.

De Arte Critica, & Regulis Joannis Clerici.

§. 2.

De Regulis Criticorum circa S. Scripturam.

§. 3.


De Regulis Criticis Studium Conciliorum, Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum concernentibus.

§. 4.

De Regulis Criticorum in Historicis.

§. 5.

De Regulis collectis à R. P. Honoré pro Emendatione Artis Criticæ.

 Pro-

PROŒMIUM.

Artem Criticam voco Artem determinandi gradum probabilitatis cuivis Rationi aut Authoritati convenientem; & inveniendi ſenſum verborum à quovis authore intentum. Non ignoro, per Artem Criticam plerumque intelligi Artem ferendi rectum judicium de quorumcunque Authorum ſcriptis; diſcernendo nempe ſuppoſita à genuinis; inveniendo ſenſum verborum, diſtinguendo vera à falſis; & judicando de ſtylo, loco, tempore, qualitate, eruditione, ac merito cujusvis authoris. Verùm cùm Ars Critica ex acceptatione hominum nondum ſtabilem ac certam ideam aſſecuta ſit; & nemo de authorum ſcriptis rectum judicium ferre queat, quin pondus Rationum ritè æſtimare ſciat; & Probabilitatem aut Certitudinem humani judicii probè perſpectam habeat; judicavi ad Artem Criticam maximè pertinere, ut de Probabilitate ac Certitudine humani judicii diſſerat.

Ideam

Ideam Probabilitatis ac Certitudinis, earum Gradus, ac Criterium non desumo à judicio Prudentum; norunt Eruditi, quantam confusionem hoc Criterium in omnes scientias invexerit: licèt enim Judicium Prudentum sit de se aliquod genuinum Probabilitatis ac Certitudinis Criterium; nequit tamen sine confusione applicari, nisi adhibeamus aliud directum ac immediatum Criterium, quo distinguamus judicium prudentum à judicio imprudentum; & cùm judicium prudentum sæpe in diversas opiniones divisum sit, egemus profectò directo veritatis Criterio.

Jacobus Bernoullus in sua Arte Conjectandi Gradus Probabilitatis ex legibus combinatoriis determinari posse credidit: sicut enim in lusu Alearum aut Chartarum dato quocunque casu possibili sors futura æstimari potest; ita in omni alia contingenti materia inspectà dispositione causarum, ex legibus conbinatoriis conjici posse arbitratus est, quid fieri soleat. Verùm Leges Arithmeticas, Algebraicas, aut Geometricas in aliis materiis, præterquam Mathematicis, non procedere, ipsemet eum in finem frustra adhibitò magnò studiò expertus sum; Ratio disparitatis est; quia in lusu Alearum & Chartarum concurrunt uniformia ac ejusdem rationis ad effectum

effectum contingentem principia ; quorum sola additio & subtractio de eventu enuntiat; at in aliis materiis veritas contingens dependet à diversis principiis , quæ nunquam ad communes combinationis leges revocari possunt.

Igitur Ideam Probabilitatis ac Certitudinis à Legum peritis accipiendam esse censui: hi præcipuè Probationes suas seu Præsumptiones desumunt à communiter contingentibus ; Quod semper fit, hoc certum esse statuunt ; Quod frequentiùs fit, hoc probabile esse affirmant ; nec ulla in Jure sine Præsumptione admittitur probatio. Ad horum imitationem & ego Certum voco, quod semper verum est ; Probabile voco, quod frequentiùs verum est. Hanc Probabilitatis ac Certitudinis ideam videntur agnovisse non solùm Academici, sed & Peripatetici ; licet hi in topicis judicio sapientum Probabilitatem magna ex parte superstruxerint. At Idea hæc non indiget commendatione antiquitatis ; lumen naturæ eam commendat.

Sine dubio multa huic præsenti Operi opponi possunt. Sceptici dicent: sciri non posse ; quid semper, quid frequentius fieri soleat. Quia, ut ipsi quidem volunt, nulla perfecta inductio casuum consimilium fieri

potest ;

poteſt; nec omnes caſus, aut conditiones ad effectum contingentem requiſitæ enumerari poſſunt. At negligi poteſt hoc dubium; cùm certò conſtet; intra illam effectuum contingentium ſeriem, quæ mundanas ac humanas res complectitur, aliquos effectus ſemper, aliquos ferè ſemper, alios frequentiùs nobis obverſari; quid enim obſtat, quin hominibus liceat aliquos effectus certos, alios probabiles dicere, cùm homines ſolùm reſpiciant ad hanc effectuum ſeriem, quæ humanas ac mundanas res complectitur. Verum quidem eſt, homines nondum omnia intueri in ſua prima cauſa, in Deo; adeóque eos nulla divina ſcientia certos eſſe, an effectus contingentes in innumeris aliis caſibus nobis incognitis taliter ſe habeant, qualiter ſe habent in paucis caſibus nobis cognitis; id tamen non impedit, quin verum ſit; effectus contingentes intra ſphœram cognitionis noſtræ ſemper aut frequentius ita ſe habere, qualiter videntur ſe habere: accedit, quod quopiam Naturæ Omnipotentis & Omniſciæ lumine impulſi credamus; aliquos effectus ſemper, alios frequentius fieri; igitur non poſſumus in hoc falli.

Erunt; qui nos omnem aſſenſum retinere volunt, niſi ad aſſenſum cogat evidens


 veritas;

veritas ; hi eliminabunt omne judicium probabile ; cur , inquient , ſapiens ſe committat erroris periculo ferendo incertum judicium , cùm operari poſſit ſequendo veroſimilia ſine abſoluto aſſenſu ac judicio ? Reſpondeo ; judicium probabile ſapientis eſſe quidem abſolutum quoadmodum tendendi explicitum ; ſed tamen habere eandem vim ac ſenſum , quem habet judicium ſceptici affirmantis ſolam veroſimilitudinem ac probabilitatem effectûs : perinde enim eſt ; ſive dicam ; Mane rubente polo , probabile eſt , venturam pluviam ; ſive dicam ; probabiliter ventura eſt pluvia ; ſive dicam ; ventura eſt pluvia ; quia in hac ultima propoſitione ob naturam ſubjectæ materiæ ab omni ſapiente ſubintelligitur modus ; *Probabiliter*.

Quod attinet Regulas aut Obſervationes in hac Arte traditas ; videbuntur multæ in ſenſu obvio falſæ eſſe , nimiùm verſatiles , aut exceptionibus , limitationibus , ac diſtinctionibus ſubjectæ : quædam videntur nimis triviales ac obviæ ; aliæ accuſabuntur mutuæ contradictionis ; forte nonnemo in me redarguet , quod propoſitiones generales talibus conditionibus munierim , quæ uſum propoſitionum inutilem reddant ; aut quod non

non nullis regulis ad particulares opiniones respexerim &c. Respondeo, me Artem Criticam nondum explicasse; sed tantum indicasse: monstravi tot observationibus modum ac viam, quâ quisque sibi ipsi Regulas Criticas in quavis materia formare possit: hic scopus laboris mei erat, ut perspicacibus suggererem tales ideas ac modos tendendi, è quibus pronum foret elicere regulas particulares: de reliquo selige certa, & dimitte incerta.





Pars I.

De Probabilitate, ac Certitudine Humani Judicii.

§. I.

De Gradibus Probabilitatis & Certitudinis.



Udicium metaphyficè certum voco, cujus principia absolutè nunquam poffunt fallere.

Judicium phyficè certum voco, cujus principia nunquam fallunt fecundum curfum ordinarium naturæ.

Judicium moraliter certum voco, cujus principia rariffimè fallunt.

Judicium probabile voco, cujus principia fæpius non fallunt, quàm fallunt.

Judicium dubium voco, cujus principia ferè toties fallunt, quàm non fallunt.

Judicium improbabile voco, cujus principia fæpius fallunt, quàm non fallunt.

Igitur omnes gradus probabilitatis & certitudinis in fubjuncta Ratione Decimali exponi poffunt; modo tria obferventur. 1° Notum fit, quoties nos principia judicii intra determinatam cafuum confimilium collectionem fallant vel non fallant. 2° Veritas principiorum ponatur loco Numeratoris; numerus cafuum confimilium ponatur loco Denominatoris. 3° Fiat terminorum ad Rationem Decimalem reductio, & approximatio.

Schema

Rationis Decimalis Probabilifticæ.

$\frac{0}{10}$ $\frac{1}{10}$ $\frac{2}{10}$ $\frac{3}{10}$ $\frac{4}{10}$ $\frac{5}{10}$ $\frac{6}{10}$ $\frac{7}{10}$ $\frac{8}{10}$ $\frac{9}{10}$ $\frac{10}{10}$

Judicium metaphyficè aut phyficè certum voco, quando veritas principiorum ad numerum cafuum poffibilium fe habet, ut $\frac{10}{10}$

Judicium

Judicium moraliter certum voco, quando veritas principiorum se habet, ut $\frac{9}{10}$

Judicium probabile voco, quando veritas principiorum se habet, ut $\frac{8}{10}$ $\frac{7}{10}$ $\frac{6}{10}$

Judicium dubium voco, quando veritas principiorum se habet, ut $\frac{5}{10}$

Judicium improbabile voco, quando veritas principiorum se habet, ut $\frac{4}{10}$ $\frac{3}{10}$ $\frac{2}{10}$

§. 2.
De Mensura Graduum.

Mensura Graduum sunt Leges Contingetium, & Inductio casuum consimilium. Quia solùm ab inductione casuum consimilium, aut legibus contingentium sciri potest, quoties nos fallant principia Judicii, nempe Ratio & Authoritas.

Leges Contingentium sunt sequentes.

Prima. Contingentia non procedunt uniformiter.

Secunda. Quod potest fieri, & non fieri; in innumeris circumstantiis aut occasionibus actu positis aliquando fit, & aliquando non fit. Quia contingentia non procedunt uniformiter.

Tertia. Quod in innumeris circumstantiis aut occasionibus nunquam fit; non est aliquid contingens, sed impossibile, relatè ad tales circumstantias.

Quarta. Effectus contingentes regulariter sequuntur dispositionem causarum.

Quinta. Quando effectus æquè potest fieri ac non fieri; toties regulariter fit, quoties non fit.

Sexta. Quando in causis reperitur ad plures effectus contingentes æqualis dispositio, neuter effectuum fit frequentius altero; sed quilibet regulariter toties recurrit, quoties recurrit alter.

Septima. Quando in causis reperitur ad plures effectus contingentes æqualis dispositio, præsumptio pro uno effectu determinato habet se, sicut unitas ad numerum reliquorum effectuum. Patet ex legibus conbinatoriis.

Octavo. Quando in causis reperitur ad plures effectus contingentes æqualis dispositio; Ille effectus cæteris sæpius recurrit, cujus principia ac dispositiones sæpius recurrunt: & quidem iste effectus tantò sæpius recurrit, quanto sæpius recurrunt ejus dispositiones. Patet iterum ex legibus conbinatoriis.

Nona. Ubi datur propinqua dispositio, regulariter sequitur effectus.

Decima. Quod pronum est fieri, regulariter fit. Seu; Effectus regulariter sequitur inclinationem principii, & dispositionem causæ.

Undecima. Effectus continges tantò frequentiùs fit, quantò plures & propinquiores concurrunt dispositiones, ac principia adminiculantia.

Hæ igitur Leges Contingentium sunt, quibûs omnem probabilitatem & certitudinem dimetiri possumus; modo tria observemus. Primò, distinctè ac claré proponatur Ratio, aut Authoritas, cui probabilitas judicii innititur. Secundò, cosideratis omnibûs circumstantiis & conditionibûs videamus, quantùm illa Ratio aut Authoritas nos Possit fallere. Et dein Tertiò ex Legibus Contingentium conjiciamus quoties illa Ratio aut Authoritas nos fallat. Sicque sciemus; an Principia judicii, nempe Ratio & Authoritas nos rarò, an frequenter fallant.

Altera mensura Graduum est Inductio Casuum consimilium; hâc experiri possumus, quoties nos fallant intra casus consimiles principia judicii, nempe Ratio & Authoritas, modò assumatur talis collectio casuum consimilium, ut sufficienter appareat, quid contingenter Soleat fieri. Quod enim in una collectione casuum consimilium fit juxta Leges Contingentium, id eodem modo fit juxta easdem leges in infinitis aliis collectionibus.

§. 3.

De Probabilitate Judicii, ad quod concurrunt plura principia.

Judicium, cujus principia sibi invicem eodem gradu opponuntur, non manet probabile. Quia, ubi æquè fortia in utramque partem dantur argumenta, judicium potest æquè falli ac non falli; adeoque redditur *Dubium*.

Judicium, quod nititur principio probabiliori, manet probabile in præsentia principii oppositi minus probabilis; sed tamen minuitur uno probabilitatis gradu. Quia tale judicium frequentius solet esse verum, quàm ejus oppositum, non tamen solet tam frequenter esse verum in præsentia principii oppositi, quàm in ejus absentia.

Judicium mediatum, quod ex alio antecedenti judicio probabili tantùm probabiliter deducitur, non manet probabile. Quia tale judicium ad sui verificationem requirit veritatem antecedentis, & verita-

veritatem illationis ; ad falsitatem verò illius sufficit vel falsitas antecedentis, vel falsitas illationis cùm igitur æquè facilè possit contingere, ut ex una parte reperiatur falsitas, ac ut ex utraque parte reperiatur veritas ; judicium redditur dubium.

Judicium mediatum, quod ex alio judicio moraliter certo probabiliter deducitur, adhuc manet probabile. Quia tale judicium adhuc frequentius solet esse verum ; licet sortiatur minorem probabilitatis gradum, quàm habeat ipsa illatio ; ut proin tale judicium nullum amplius retineat probabilitatis gradum, quando illatio jam aliunde in infimo probabilitatis gradu posita est. Idem dicendum de Judicm, quod ex alio judicio probabili morali certitudine deducitur.

Authoritas addita Rationi, aut Ratio addita Authoritati non auget gradum probabilitatis, sed eundem gradum, in quo ambæ conveniunt, confirmat. Quia Judicium nunquam redditur certum, etiamsi mille conglomerentur argumenta solùm probabilia ; adeoque nec redditur ex additione sola verius.

Authoritas addita Authoritati semper auget gradum probabilitatis. Quia ex pluribus testibus veritatis idoneis semper conflatur unum principium, quod rarius fallit.

Aggregatum plurium Rationum, tunc solum auget gradum probabilitatis, quando ex pluribus rationibus potest conflari unum argumentum. Quod semper fieri potest, quando plures rationes nobis manifestant plures perfectiones, proprietates, circumstantias, & adjuncta objecti ; Unum enim argumentum est ; quod petitur ex Uno Loco topico, vel à definitione, vel à divisione, vel à proprio, vel ab accidente &c.

Probabilitas judicii à probabilitate potentioris principii unicè æstimari debet. Quia additio principiorum non auget probabilitatem judicii, nisi quando ex pluribus principiis conflatur unum argumentum seu principium.

§. 4.

De Observandis in Praxi.

Nulla veritas sine evidentia sui Gradûs admitti debet. Quia alioquin nascetur infinita confusio.

Adeoque Nulla authoritas, nulla ratio nisi examinato prius gradu probabilitatis suæ assumi debet. Quia certo ineptè litigandi periculo se committit, qui hoc examen omittit.

Quando gradus probabilitatis est ambiguus, determinandus est vel ex hypothesi, vel ex consensu partium ; vel per approximationem ; vel assumendus est Gradus proximè minor. Omnis

pere debet, nisi constet, quid, & quantum, & quo modo contribuat ad veritatem. Talia argumenta solent esse. 1. Quando objectum dicitur possibile. 2. Quando multæ afferuntur congruentiæ. 3. Quando una sententia dicitur facilis esse explicatu, opposita difficilis. 4. Quando una sententia dicitur esse subjecta minoribus difficultatibus, quàm opposita. 5. Quando recensentur multæ commoditates unius sententiæ. 6. Quando affertur argumentum ab invidia ductum, quo adversario conflatur invidia. 7. Quando in una sententia dicitur servari major principiorum uniformitas; 8. Aut major doctrinæ consequentia. 9. Aut dari facilior solutio objectionum.

13 Neque Authoritas, nec judicium doctorum, nec communis opinio scholæ fundat probationem, nisi fundet majorem veritatis præsumptionem, quam authoritas opposita. Quia quod videtur verius, frequentius solet esse verum.

14 Nec ulla Ratio Authoritati, nec ulla Authoritas Rationi præferri potest, nisi fundet majorem præsumptionem veritatis. Quia judicium nihil ut probabile seu ut verius affirmare potest, nisi sua principia minus fallant, quam principia judicii oppositi. Idem dicendum, quando Ratio sola opponitur Rationi & Authoritati simul sumptis; aut viciffim.

15 Argumentum nimium probans intantum probat pro parte non excedente, in quantum pro illa aliunde fundat præsumptionem. Hæc omnia & adhuc plura sequuntur ex generali principio, quod nempe Omnis probatio sit præsumptionis demonstratio.

16 Omnis ad argumenta opposita responsio sit Præsumptionis oppositæ dissolutio. Quia frustra respondetur adversario, nisi gradus probabilitatis, quem ille argumento suo tribuit, destruatur.

17 Non tollitur propositionis objectæ præsumptio exceptione particulari. Quia licet ostendatur, illam propositionem non esse universaliter veram, eam non universaliter procedere, eam aliquoties fallere, eam non necessariò concludere &c. non propterea absolutè rejicienda est; quia adhuc potest esse ut plurimum, ac regulariter vera; potest regulariter procedere potest ut plurimum non fallere &c. adeoque potest adhuc fundare præsumptionem, quam forte solam adversarius intendit. Hæc regula reddit inutiles multas myriades responsionum, aut confutationum, in quibus authores putant se magnam rem præstitisse, si ostendant aliorum dogmata aut probationes non universaliter vera esse.

18 Probatio conclusionis non tollit præsumptionem pro conclusione opposita. Quia frequens est, pro utraque parte reperiri præsumptiones. Igitur vana est illorum responsio, qui dum probabilitatem oppositæ conclusionis aut probationis dissolvere non possunt, respondent, argumentum oppositum non esse convincens; conclusionem verò suam propriam jam sufficienter probatam esse. Aut negant argumenta adversarii licet probabilia, rationem negandi unicè desumentes à probatione suæ conclusionis etiam tantùm probabili.

19 Ubi manifesta veritas, certa & inutilis est præsumptionum oppositarum falsitas. Quid enim juvat, afferre tales præsumptiones, nisi ad perturbandum intellectum veritati non satis intentum?

20 Hinc Ratio probabilis testimonio certo, & testimonium probabile Rationi certæ cedit, amissa omni sua probabilitate ac vi. Quia non nisi ex infirmitate intellectus non satis intenti ad certam veritatem provenit, si adhuc se occupari sinat probationibus certò falsis.

21 Quando concurrunt principia directa cum principiis indirectis, aut reflexis, utraque seorsim æstimari debent. Quia judicium probabile sequitur illa principia, à quibus se circa veritatem directam minus falli sperat, sive illa principia sint directa sive indirecta, nil interest. Hinc ad id solùm attendendum, an principia reflexa pariant majorem veritatis præsumptionem, quàm directa.

22 Hinc principia indirecta aut reflexa solùm probabilia non liberant ab examine directo. Quia forte per principia directa vincitur probabilitas principiorum reflexorum. Ex hac observatione præcluduntur multorum effugia, qui conantur per principia reflexa aut indirecta effugere examen directum; vel qui probabilitatem principiorum directorum æstimari volunt solùm per principia reflexa v. g. per judicium prudentum, per sensum doctorum, aut sensum communem &c. si enim talia effugia liberarent nos ab examine directo, sæpe opinio tantùm probabilis redderetur inexpugnabilis, quod in terminis repugnat.

23 Quævis conclusio sequitur defectum sui suppositi, aut Antecedentis, ex quo infertur: adeoque tanta est conclusionis probabilitas, quanta est præsumptio pro veritate omnium suppositorum, aut Illationum, si conclusio nitatur pluribus suppositis, aut pluribus Antecedentibus. Hinc si conclusio nitatur multis suppositis solùm probabilibus, aut inferatur per multas illationes solùm probabiles, plerumque non relinquitur ei ulla probabilitas, quia juxta L. C. plerumque contin-

contingit, ex tot suppositis aut illationibus solùm probabilibus saltem unam fallere. Hinc Sorites plerumque aut nullam aut tenuem probabilitatem habent.

Quando gradus probabilitatis æstimatur ex inductione casuum similium. Debent 1. sumi tot casus, quot possunt sumi. 2. Illa enumeratio casuum similium habeatur pro sufficienti, quæ comprehendit omnes notabiles circumstantias communiter in casibus consimilibus occurrentes. Quia, quod fieri solet in exigua casuum similium collectione, contingit etiam fieri in magna collectione, nisi mutentur circumstantiæ; adeoque si omnes circumstantiæ in casu consimili secundum cursum ordinarium possibiles reperiantur in exigua casuum consimilium collectione, inductio legitimam pariet præsumptionem pro casu consimili. 3. Illi Casus præsumuntur esse similes, in quibus post adæquatam considerationem principiorum ac conditionum ad Casum concurrentium non apparent diversæ circumstantiæ ad casum requisitæ. 4. Quando solùm probabile est, Casus Inductionis esse similes, aut enumerationem Casuum esse sufficientem, tunc gradus probabilitatis solùm probabiliter vi talis Inductionis æstimari potest; adeoque tunc observandum, quod hoc §. n. 3. dictum est. 24

Quando gradus probabilitatis æstimatur per Leges Contingentium. Debent 1. considerari tot dispositiones ac principia ad effectum contingentem concurrentia, quot possunt considerari. 2. Tunc enumeratio talium dispositionum ac principiorum habeatur pro sufficienti; quando non licet prudenter suspicari, ignorari adhuc aliquam dispositionem &c. ad effectum requisitam. 3. Quando solùm probabile est, enumerationem talium dispositionum ac principiorum esse sufficientem, tunc Gradus probabilitatis solùm probabiliter æstimari potest. 25

Semper licet prudenter suspicari ignorari aliquam dispositionem, circumstantiam, aut principium ad effectum requisitum, quando objectum non est evidenter cognitum, aut ob sui simplicitatem, aut ob observationis accurationem; accurata censetur observatio quando diversis temporibus, diversis locis, à diversis observatoribus, secundum diversa systemata &c. observatum est. 26

Quando gradus probabilitatis solùm probabiliter determinari potest, Judicium nullam sortitur probabilitatem. Quia judicium probabiliter solum ex alio probabili deduceretur. Hinc, quando possumus, juxta n. 3. assumendus minor gradus, sed certior. 27

28 Si disputandum cum adversario, qui laborat præjudiciis, & nolit ligari legibus Criticis, nihil efficies, nisi compromittat in sequentes conditiones. 1. Nihil asserendum, nisi quod videatur esse verius suô oppositô. 2. Illud solùm habendum pro veriori, cujus principia rariùs fallunt, ac communius sunt vera. 3. Nihil supponendum sine consensu utriusque partis, nec aliquid sine examine directo recipiendum. 4. Cuivis liceat uti modo probandi & proponendi, qui sibi videbitur commodior, nisi in tali modo ab adversario detegatur vitium.

29 Cæterùm Præjudicia adversarii nonnisi inductionibus corrigi possunt, ostendendo talia Præjudicia sæpe fallere, aut sæpe posse fallere. 2. Laborandum, ut status quæstionis reducatur ad formam claram, in qua statim primo aspectu appareat, quid principaliter probandum, unde probationes desumendæ, & quomodo instruendæ sint. 3. Attendendum, ut Conclusio, Probatio, Objectio, Responsio &c. semper versentur circa idem objectum secundum idem & eodem modo acceptum. 4. Omnis explicatio, similitudo &c. reducenda est ad nudam propositionem, in qua ablatis omnibus terminis superfluis nudè appareat subjectum & prædicatum. 5. Omnis discursus reducendus est ad simplices Propositiones, & illationes, ut clarè appareat, quid inferatur, & unde inferatur.

30 Brevitatis causâ solùm hæc tria nota. 1. Nulla propositio sine Nota probabilitatis suæ admitti debet. 2. Omnis probatio sit præsumptionis demonstratio. 3. Judicium præsumptionem fortiorem sequi debet.

§. 5.

De Censuris Criticis.

1 Judicium hæreticum voco, quod ad minus morali certitudine constat opponi authoritati divinæ.

2 Judicium erroneum voco, quod ad minus morali certitudine constat opponi veritati.

3 Judicium temerarium voco, quod ex infimo probabilitatis gradu opponitur veritati moraliter certæ.

4 Judicium proximum Errori aut Hæresi voco, quod vix non morali certitudine constat opponi veritati, aut authoritati divinæ.

5 Judicium respectivè Erroneum, aut Hæreticum voco, quod morali certitudine constat saltem in aliquo sensu minus proprio, aut secundario opponi veritati, aut authoritati divinæ.

Judi-

Judicium Scandalosum voco, quod multis hominibus etiam 6
circumspectis probabilitas futurum est occasio erroris aut peccati.

Judicium periculosum, perniciosum, seditiosum voco; quod 7
probabiliter disponit, animos ad malum, pernitiem, aut seditionem;
v. g. excitando ideas, aut passiones, ex quibus pronum est ad errorem, malum, aut seditionem devolvi.

Judicium Impudens aut Insolens voco, quod sine magno pro- 8
babilitatis gradu nititur deprimere authoritatem receptam.

Judicium incredibile voco, quod sine morali certitudine asserit 9
rem, cujus nec in simili habetur exemplum, nec clara possibilitatis
demonstratio.

Judicium Absurdum voco, quod sine morali certitudine oppo- 10
nitur æstimationi communi hominum.

Judicium Nugatorium aut Ineptum voco, quod circa obje- 11
ctum grave non respondet seriæ exspectationi hominum.

Judicium puerile voco, in quo monstratur defectus talium Re- 12
gularum prudentiæ, quæ viris alioquin obviæ sunt.

Judicium Stultum, ac Insanum voco, in quo invenitur talis 13
confidentia, ostentatio, aut passionum commotio, quæ nunquam reperitur in viro moderato, ad rationes compositas leviter attento.
Hoc enim proprium insaniæ est, non attendere ad rationes oppositas.

Judicium inutile voco, quod sui veritate non requiritur ad 14
ullum finem secundum regulas prudentiæ prudenter intendibilem.

Judicium saltare extra orbitam, aut non esse ad rem dico, 15
quod nequidem probabiliter auget vel minuit aliquam præsumptionem pro veritate principali.

Judicium prudens voco, quod seligit media ad finem certiora, 16
faciliora, & simul ad plures fines aptiora; seu quæ regulariter habent meliores effectus.

Judicium verosimile voco, quod nititur circumstantiis regula- 17
riter concomitantibus veritatem.

Judicium confusum aut captiosum voco, quod aptum est, 18
menti ingenerare varios sensus; aut quod eidem nullam determinatè
objicit veritatem.

Possunt quidem ferri plures censuræ, sed illæ ex allatis exem- 19
plis vel intelligi vel formari possunt.

Pars 2.

De Authoritate.

§. 1.

De Authoritate in Genere.

1 ILlo gradu consistit cujusvis authoritatis probabilitas; quo gradu in Authore reperitur Idonei Judicis, aut Idonei Testis qualitas. Ratio est, quia in omni authoritate solùm duo attendi possunt & debent; nempe aut proprium in re dubia authoris judicium; aut ejus de re aliunde comperta testimonium. Judicium authoris fundat præsumptionem, inquantum nititur recta mentis dispositione discernendi verum à falso. Testimonium fundat præsumptionem, inquantum nititur experientia sensuum, famâ, documentis, traditione. Igitur omnis authoritatis probabilitas aut in qualitate Idonei Judicis, aut Idonei Testis constitui debet.

2 Omnis & solus ille author voluisse agere testem præsumitur, qui de facili potuit niti experientia sensuum, fama, documentis traditione. Quia, quod faciliter fit, regulariter contingit. Reliqui proin omnes authores, in quibus non occurrunt obvia hæc subsidia, tantùm pro judicibus haberi debent, qui veritatem, & documenta veritatis ratione discutiunt: solet enim tam Judex, quàm Testis versari circa experientiam, documenta, & traditionem; Testis verò affert solùm documenta ut legitima; Judex eorum vim examinat.

3 Quando in utramque partem æqualis stat authoritas, pro neutra fundatur probabilitas. Quia judicium ex utraque parte manet æquè fallibile.

4 Ubi tantùm probabiliter favet probabilis authoritas, nulla exinde fundatur probabilitas. Quia sic probabile tantùm probabiliter ex alio deducitur.

5 Tanta est cujusvis authoritas, quanta probationum illius soliditas. Hinc ubi manifesta est probationum nullitas, cessat authoritas. Et ubi certò reperitur in authore ignorantia Probationum adversæ partis, non valet illius judicium, quia meritò præsumitur laturus fuisse aliud judicium, si illi adeo manifestæ probationes fuissent cognitæ. Hinc etiam patet, melioris conditionis esse authorem idoneum, qui silet de suis probationibus; quia in casu talis silentii so-

lùm

lùm possumus attendere ad authoritatem dicentis; non verò ad ejus probationes. Verum quidem est, ipsam dicentis authoritatem probationibus suis tantam vim conciliare, quantam potest conciliare, sed non conciliat majorem vim, quam quæ adhibita sufficienti attentione cognosci potest. Quin ipsi authores in rebus majoris momenti nil volunt sibi tribui, quod non merentur probationes eorundem. Interim benè notari debet; si nullum manifestum appareat in probatione vitium, stat directa pro authoritate dicentis præsumptio.

Nulla est authoritatis probabilitas, ubi manifesta est suppositi falsitas. Supposito, quod tale suppositum dederit causam assertioni. 6

Quævis authoritas tamdiu retinet suum probabilitatis gradum, quem semel inter doctos obtinuit, quamdiu in illa non ostenditur vitium. Quia licet æstimatio hominum successu temporum sæpe mutetur, nusquam tamen bene mutatur, nisi appareat vitium. Humana mens inconstans, & affecta tœdio imperfectionum, quas in authoribus sibi familiaribus reperit, facilè in admirationem novorum & incognitorum authorum rapitur; in quibus ab initio non imperfectiones, sed solas perfectiones considerare solet. 7

Ubi concurrunt plurima authorum testimonia, quorum quodvis potest esse contingenter verum vel falsum, est impossibile omnia esse vera vel falsa. Patet ex L. C. quia non procedunt uniformiter hinc, licet in tali casu non possit demonstrari, verum esse aliquod determinatum testimonium; potest tamen demonstrari, verum esse aliquod indeterminatum; quod in multis materiis, ubi sufficit unum testimonium, utile est. 8

Ubi plurium Authorum numeratur authoritas, debet singulorum æstimari probabilitas, quia nisi singuli sint ad veritatem discernendam dispositi, præsumuntur potius torrente, quàm rationum evidentia inducti esse. 9

Tam magna ex consensu plurium authorum fundatur probabilitas, quàm rara est tot authorum in simili casu uniformitas. Nam consensus authorum solùm ideo fundat probabilitatem, quia rarò contingit tot authores decipi uniformiter. Parùm ergo interest, sive duo, sive tres, sive centum, sive mille authores consentiant; nam ad hoc solùm attendi debet, an facilè ac frequenter contingere possit, ut tot authores sine sensu erroris aut veritatis in simili materia consentiant; aliquando enim difficile est, ut duo fallantur; aliquando facile est, ut mille fallantur. Facilitas autem & difficultas errandi ex dispositione controversiæ desumi debet, ac retineri illa regula: Quod pronum est fieri, regulariter fit. 10

Persua-

11 Persuasio hominum, sensus communis, & quævis authoritas tantum fundat præsumptionem circa objecta sibi familiaria. Quia alioquin non præsumitur idonea cognitio ad ferendum judicium aut testimonium requisita.

12 Ubi authoritati opponitur authoritas; semper clara obscuræ præferenda est, licet alioquin majori; Quia in illa simpliciter major fundatur probabilitas.

§. 2.
De Qualitate Idonei Judicis.

1 Qualitas idonei judicis positivè probari debet; Quia congrua mentis dispositio discernendi verum à falso in rebus dubiis communiter non inest hominibus à natura. Adeoque, ubi de qualitate authoris nil constat; aut ubi ejus qualitas dubia est ob argumenta in utramque partem æqualia, aut ubi positivè probatur authoris indispositio, nulla ex authoritate fundatur probabilitas.

2 In omni & solo illo authore præsumitur dari idonei Judicis qualitas, in quo reperitur sequentium conditionum veritas.

3 Prima. Asserat ea, quæ sibi videntur veriora. Quia si author tantum intentus sit ad recensendas aliorum opiniones; si videatur tantùm insistere iis, quæ possunt dici, aut quæ vulgo vocantur Probabilia, assertio talis authoris non fundat præsumptionem pro veritate.

4 Secunda. Asserat ea, quæ dicit, absolutè, sine hæsitatione, Quia hæsitatio supponit dubium in authore. Hinc si assertionem suam tantùm exprimat similibus verbis: *Videtur*, *Probabiliter dico*; ex more horum temporum conjuncta est assertioni hæsitatio.

5 Tertia. Sit liber à præjudiciis. Quia mens imbuta præjudiciis æquè prona est ad errorem ac ad veritatem, quando præjudicia habent connexionem cum quæstione controversa. Nemo autem præsumitur à Præjudiciis liber, nisi sit Eruditus; in scriptis adversariorum versatus; nisi pacatè audiat & excipiat adversarios; nisi sit heroici animi, audax, fortis in inquirendo, intrepidus in asserendo, velox ingenio, liber à passionibus; nisi denique in congruis occasionibus det aliqua positiva specimina suæ libertatis & indifferentiæ; mentem enim servam à libera distinguunt actus, qui ejus dispositionem communiter sequuntur: mens serva facilè ponit aut omittit aliquid eorum, quæ mens libera in simili occasione non ponere, aut omittere solet.

Quarta.

Quarta. Sit liber ab inordinata affectione suæ opinionis. Quia af- 6
fectio facillimè pervertit judicium rationis; nec quisquam judex in causa propria recipitur, nisi conditio personæ aliunde purget suspicionem inordinatæ affectionis. Hæc autem suspicio non purgatur nuda verborum protestatione, quæ sæpe est contraria facto; sed purgatur per hoc, quod nihil possit demonstrari à tali authore omissum aut positum, quod non facilè potuisset omitti aut poni ab alio authore nulla inordinata affectione imbuto. Quia si tantum una vel altera vice occurrat in authore privatæ affectionis vestigium, nondum probatur dari in authore inordinatæ affectionis dispositio, quia omnis habitus seu dispositio communiter post se trahit multos actus sibi congruos. Aliqui volunt, ut ex scriptis authoris maximè historici, nec ejus patria, nec familia, nec status conditio, nec religio appareat. Verùm non sunt necessarii tam stricti limites, licet indifferentiam authoris maximè probent.

Quinta. Reluceat in authore naturalis scientia & observatio Regula- 7
rum Criticarum. Cum enim leges Criticæ fundentur in naturali lumine, non potest contingere, ut mens rectè disposita frequenter ab istis regulis deflectat. Unus enim vel alter error non arguit malam dispositionem; quia omnis habitus seu dispositio inclinat ad actus sibi congruos; adeoque juxta L. C. omnis mentis dispositio, sive bona sit sive mala, trahit post se multos actus, ut proin ex actibus frequentatis dignosci debeat. Præcipuè attendendum, an author distinguat certa à probabilibus, probabilia à dubiis, an moderetur ac retineat assensum in incertis &c.

Sexta. Reluceat in authore habitus rectè discurrendi seu Logicus. 8
Qui enim frequenter impingeret in regulas rectæ ratiocinationis, eoipsò convinceretur habere dispositionem malam mentis æquè pronam ad errorem ac ad veritatem in occasionibus erroris.

Septima. Reluceat in authore Claritas, Ordo, & Exactitudo. Hæ 9
enim proprietates regulariter concomitari solent ingenia ad veritatem disposita. Claritas dicitur reperiri in illis scriptis, in quibus reperitur Evidentia principiorum, conclusionum, & illationum, ita ut sine hæsitationis occasione statim appareat; quid afferatur; quid & quomodo sequatur. Ordo dicitur reperiri in iis scriptis, in quibus unico obtutu obvia est omnium dogmatum connaturalis connexio. Exactitudo dicitur reperiri in iis scriptis, in quibus non reperiuntur multi errores secundarii, ad principalem quæstionem parùm quidem pertinentes, sed tamen limitationem ingenii authoris arguentes: ingenia enim ad veritatem disposita non solent esse limitata, aut certè cauta sunt in iis, quæ sciunt se ignorare. Et qui in secundariis tam audacter,

dacter ea, quæ ignorant, asserunt, æquè dispositi sunt ad loquendum in causa principali, licet eam parùm sciant.

10 Octava. Vitet author præcipitantiam judicii. Quia juxta L. C. necesse est, mentem re non satis discussa sæpe errare. Præsumitur verò esse dispositus ad præcipitandum judicium ille, qui non solet retinere assensum in rebus dubiis, in inutilibus, aut ad quæstionem principalem impertinentibus; maximè si sine necessitate se immisceat controversiis, quæ sine offensione alicujus partis difficulter tractari possunt.

11 Nona. Reluceat in authore Attentio, Exercitatio, & Eruditio; ita ut author nil omittat eorum, quæ alioquin attentis, exercitatis, ac eruditis obvia sunt. Quin debent in authore apparere positiva attentionis, exercitationis, ac eruditionis vestigia, quia his donis prædici non solent occultare dona sua. Quod autem sine his mens sit æquè disposita ad errorem ac ad veritatem, patet ex eo, quia sine his facilè mentem latent multa ad principalem quæstionem & ferendum rectum judicium scitu necessaria. Porro scitu necessarium est illud, cujus notitia mentes aliorum hominum solet disponere ad ferendum aliud judicium. Attentio solet deesse in illis authoribus, qui se tantum exiguo tempore applicarunt ad suum objectum, ad quod alioquin etiam capacia ingenia se longo tempore applicant; dein in iis, qui nimis multos libros exiguo tempore, aut præmaturè scribunt; & maxime in iis, qui circa multa alia objecta impertinentia occupantur; mens enim humana non solet ad multa attenta esse. Exercitatio solet deesse in iis, qui non habent occasionem obviam se exercitandi aut scriptione, aut lectione, aut discursu ac colloquiis cum verè doctis. Eruditio verò deest in iis authoribus, in quibus multa reperiuntur dicta aut omissa, quæ eruditus non sic diceret aut omitteret, non tamen requiritur, ut quis impertinenti eruditione aliorum aures fatiget. Neque etiam conveniens est, omnem eruditionem palam profundere, modo quis ipso facto satis innuat, se ab eruditione non directum esse. Cæterùm confidentia & iterata repetitio dictorum probant attentionem dicentis.

12 Decima. Careat author ostentatione & puerili eloquentia. Quia hæ regulariter solent abesse ab ingeniis politis, exercitatis, ac eruditis; hæ enim ob eruditionem ac experientiam variam sentiunt difficultates controversiæ; norunt præjudiciorum vim, & imbecillitatem humanæ mentis, experti sunt scientiam adversariorum, & cùm seipsos sæpe victos sciant ac errasse, ad indifferentiam judicii & moderationem redacti sunt. Caracter ostentationis est omnia pro certis vendere, aut ea proponere, quæ licet impertinentia ad causam principalem sint, apta tamen sunt ad conciliandam authori

authori æstimationem, & vilipensionem adversarii. Caracter puerilis eloquentiæ est, uti arte declamatoria, & argumentis popularibus, in quibus nulla inest vis ad causam principalem; quod contingit, si talia argumenta declamatoria non possunt reduci ad formam alicujus argumenti solidi, in quo nihil negari potest. Authores huic puerili eloquentiæ assueti proniores sunt ad errorem quàm ad veritatem; quia sola apparentia argumentorum, quam hi sequuntur, potest esse causa ac principium multorum errorum, sed tantùm unius veritatis, ut proin inter tot possibiles effectus major sit pro errore præsumptio juxta L. C.

Undecima. Sit author liber, ad nullius Magistri verba adstrictus. 13
Quia tollitur indifferentia judicii, postquam semel suscepta est obligatio; mens redditur attentior ad rationes faventes; & concomitari plerumque solent talem obligationem multæ aliæ secretæ mentis affectiones, quæ judicium inclinant in partem propriam. Igitur viris ad verba Magistri adstrictis liceat pro sua parte pugnare argumentis, non authoritate, nisi aliunde positivè demonstrent, præsumptionem generalem in casu particulari eos non comprehendere; aut certè probent, se non jurasse in verba Magistri, nisi præmisso sufficienti examine doctrinæ, & quidem libere jurasse.

Duodecima. Sit author probatus omnium ferè sapientum judicio. 14
Sapientes enim dici debent illi, in quibus apparent principia recti judicii; igitur cùm hæc principia à potiori consequantur effectum suum, nec communiter aberrent, debet necessario commune sapientum judicium conforme esse judicio authoris. Quin etiamsi author non haberet qualitatem idonei judicis aut testis; si tamen ejus doctrina approbetur communi sapientum judicio, signum est, authorem non multùm errasse, licet pronus fuerit ad errandum. Porrò in numero sapientum haberi debent etiam illi, qui habent in suis mentibus spetialem assistentiam providentiæ; licet enim auxilia talis providentiæ plerumque adhuc dependeant ab applicatione ac industria humana, à potiori tamen consequuntur effectum suum.

Decimatertia. Non relinquat author animum in suspenso. Hoc 15
fieri solet, quando author sibiipsi sæpius aut verè aut apparenter contradicit; quando tractat materiam problematice potius quàm dogmaticè pro utraque parte disputando. Si principiis generalibus omnem vim detrahat conclusionibus particularibus, aut aliis limitationibus; si mentem ita impertinenti eruditione occupet, ut ea ultimatò ignoret, qua ratiocinatione tam fuse dicta ad conclusionem ordinet, aut quid inde inferendum sit. Si ita differat de uno contrariorum, ut pronum sit prolabi ad alterum extremum, quando nempe author limites contrariorum accurate non determinat. Si deni-

quæ nullum determinatum ſcopum ſtatuat, ad quem omnia dicta facile referri poſſint; ſi diſparata confuſâ ratiocinatione probet, ſicut contingit, quando quis adverſarios una eademque argumentatione confutando confundit. Talis author, licet ſæpe veritatem attingat, neceſſario tamen ſæpe aberrat, quia non habet certa principia veritatis, nec ordinem rationis.

16 Decimaquarta. Reluceat in authore perſpicacia & prudentia. Perſpicaciam ingenii voco, qua non ſolum facillimè excogitantur argumenta, ſed & eorum vis cum adverſariorum reſponſis ac effugiis facilè prævidentur. Prudentiam voco, qua controverſia ſic tractatur, ut intellectus facillimè convincatur; hinc removeantur omnia, quæ intellectum impediunt à comprehendenda veritate; non excitentur tales paſſiones in animis audientium, quibus turbatur, aut omnino odioſa redditur veritas; reſecentur inutilia, quæ ad ſcopum non requiruntur, cùm ſine damno poſſint abeſſe: evitetur prolixitas, cùm mens adeo multa comprehendere nequeat. Abſint exaggerationes, quia earum falſitate redditur ſuſpecta tota doctrina. Tota doctrina poſſit reſolvi in definitiones, axiomata, poſtulata, concluſiones, probationes, explicationes utiles, animadverſiones, conſectaria, & dubiorum ſolutiones. Obvia ſit menti totius ſyſtematis ac doctrinæ connexio; ſcopus ſit ubique per totum opus in omnium oculis; pauca ſint ac uniformia principia, quæ in omnes concluſiones aperte influant. Leves objectiones, quarum ſolutio cuivis obvia omittantur. Ejusdem rei ſub aliis terminis repetitio, ſicut & earundem probationum, caveatur; quia hæc repetitio mentem potius avertit ab attentione, quàm convincit. Ea, quæ dependet à definitionibus nominum, aut explicatione terminorum, non ſpecialiter multis extrinſecis non neceſſariis argumentis diſcutiantur, quia mens ſemper viam breviſſimam ad veritatem quærit; hinc etiam principiis incertis, aut doctrinis exiguæ conſequentiæ nemo immoretur; nec ſine urgenti cauſa veritas multis argumentis probanda, quando ea ſufficienter demonſtratur unico, univerſim ea non doceantur, quæ viro mediocris ingenii data occaſione aliunde facillimè incidunt. Hæc omnia ſunt contra prudentiam, cujus habitus non poteſt reperiri in authore, qui elicit multos actus oppoſitos prudentiæ. Perſpicacia autem ingenii probatur, ſi authori occurrant talia argumenta aut reſponſiones, quæ aliis non facile occurrunt; perſpicaciæ defectus probatur, ſi author non prævidet ea, quæ alius facilè prævideret, aut inveniret, ſive ſpectentur argumenta, ſive reſponſiones, ſive ordo & connexio & integritas doctrinæ, ſive declinatio adverſarii, cui nunquam debet præberi occaſio, ex qua authori inanem difficultatem movere poſſit.

Decima-

Decimaquinta. Sit author liber à passionibus potentiæ intellectivæ. 17
Tales passiones sunt. 1. Præcipitantia judicii. 2. Curiositas, quæ est cognitio rerum inutilium. 3. Nugacitas, quæ est inclinatio mentis ad objecta inutilia jocosa. 4. Naturalis, vel voluntaria ad occasiones menti contagiosas adhæsio. 5. Sollicitudo temporalium. Hæc omnia rarissimè insunt mentibus ad veritatem dispositis; & in Ethica ex L. C. demonstratur, ex his fontibus necessariò consequi innumeros errores, ut proin tollant authoritatem authoris. Bene tamen notari debet, hîc sermonem esse de habitibus, qui nascuntur ex frequentatis actibus; non de actibus particularibus: solent enim etiam sapientes nonnunquam ob necessitatem tales paucos actus attingere.

§. 5.

De Qualitate idonei testis.

In nemine præsumitur idonei testis qualitas, nisi in illo præsumatur 1
notitia & sinceritas. Quia testis nec falli debet, nec fallere: debuit rem, de qua testatur, de facili potuisse scire; alioquin in illo non præsumitur notitia; debet etiam esse bonæ famæ; alioquin non præsumitur in illo sinceritas. Hinc nec fama, nec traditio, nec persuasio hominum, nec sensus communis fundat idoneum testimonium, nisi in quantum aliunde fundat præsumptionem notitiæ & sinceritatis.

Tamdiu in quovis teste præsumitur reperiri sinceritas, quamdiu in illo 2
non probatur ad fallendum pronitas. Hæc autem ex statu, circumstantiis, ac dispositione loquentis probari potest.

In teste, qui reddit rationem suæ scientiæ, tanta præcisè reperitur 3
probabilitas, quanta in ratione. v. g. si fundetur in fama, in visu, in documentis &c. tota probabilitas testimonii ex horum probabilitate desumi debet.

Testis, qui non reddit rationem suæ scientiæ, præsumitur fundari in 4
documentis obviis, in quibus illi pronum erat quiescere. Igitur circa talem testem ad duo attendi debet. Primò, ad ea documenta, quæ de facili potuerunt esse obvia. Secundò, ad dispositionem testis; an pronus sit ad aquiescendum documentis minus solidis. Semper enim præsumendum, eum fundari in documento omnium facillimè obvio; si verò tale documentum sit minus solidum, & testis non soleat aquiescere documentis minus solidis, præsumendum est, eum niti documento solidiori, nunquam tamen testis præsumitur niti documentis extraordinariis.

5 Tanta est testis authoritas, quanta est probabilitas, quod habuerit sufficientem notitiam. Et parùm interest, sive sit testis coævus, sive proximè coævus, sive recentior ac remotior. Hinc, quando testes opponuntur testibus, interdum unus testis coævus prævalet centum testibus recentioribus; interdum verò recentiores prævalent testi coævo.

6 Unus testis coævus de visu vel auditu prævalet mille testibus non coævis. Patet.

7 Plures testes coævi de fama vincunt testimonium omnium aliorum testium, qui non sunt coævi. Quia vix fallit fama, quæ tot fide dignis testibus fulcitur.

8 Cæteris paribus semper standum est pluralitate testium.

9 Omnes convenientiæ ac conjecturæ cedunt testimonio unius fide digni; quia præsumptio cedit veritati.

10 In factis antiquis requiritur eadem testium qualitas, quæ requiritur in factis recentioribus, in ordine ad veritatem, sed non in ordine ad effectus morales. Quia factum ob solam antiquitatem non redditur magis credibile; igitur in ordine ad veritatem & ad ferendum judicium speculativum debet intellectus æquè idoneis testibus convinci, ac in factis recentioribus. Sed quia Regulæ prudentiæ suadent, tradita custodiri, & vitari faciles mutationes in effectibus moralibus, in quibus licet abstrahere à certitudine vel probabilitate directa facti antiqui; ideo in ordine ad tales effectus morales sufficit minor numerus testium, & minus idoneorum: quin sufficit interdum ad conservandos effectus morales facti antiqui, modo in objecto seu facto non demonstretur falsitas. Hinc ii audiendi non sunt, qui sine præsenti distinctione in factis antiquis sufficere volunt testimonium unius testis forte etiam minus idonei.

11 Traditio, cujus nec falsitas, nec ininterrupta successio demonstrari potest, adhuc fundat in fimum probabilitatis gradum. Quia licet plurimæ tales traditiones, maximè populares, falsæ sint, plures tamen ex iis veræ sunt. Potest tamen hic probabilitatis gradus tolli per conjecturas, aut alia argumenta positiva, si sint æque probabilia, ac ipsa traditio. Interim tamen talis traditio, cui opponuntur argumenta positiva, licet in ordine ad veritatem directam & ad judicium speculativum non habeat amplius vim; retinet tamen vim suam in ordine ad effectus morales ob rationem prius datam. Tales effectus plerumque dependent ab authoritate publica tam quoad sui productionem, quàm conservationem.

12 Testis semel mendax nunquam fundat probabilitatem. Quia unicum deliberatum mendacium arguit talem mentis dispositionem, quæ non solet reperiri in sinceris hominibus.

Persona

Perſona publica ſemper fundat ſummam probabilitatem in iis, quæ 13
ſunt teſtimonii publici. Quia rarò ſolet fallere.

Qui textum truncat, mutat, aut multa reticet cum gravi præjudicio 14
cauſæ, pro teſte falſario haberi debet. Quia ſcienter adducit alterius teſtimonium; cùm ſciat, id non eſſe conveniens, ſi rectè inſpiciatur.

Qui ſæpius teſtatur innixus documentis dubiis, nunquam fundat pro- 15
babilitatem. Quia talis author cenſetur habere diſpoſitionem ac habitum nimiæ levitatis in credendo.

§. 4.
De Argumento Negativo petito ex Silentio Authorum.

Tunc ſolùm ex ſilentio authorum contra factum fundatur præſum- 1
ptio, quando in authoribus ad rumpendum ſilentium oſtenditur poſitiva diſpoſitio. Quia ſi cum veritate facti æque facilè ſtat ſilentium, hujus ſilentii poſitio non erit facti deſtructio; cùm ſolùm illa ſe invicem deſtruant, quæ difficulter ſimul ſtant. Igitur, qui ex ſilentio authorum vult ducere argumentum, debet duo probare. Primò, quod extiterint authores, qui habuerint occaſionem ſcribendi & teſtandi de facto. Secundò, quod illi authores habuerint poſitivam inclinationem, diſpoſitionem ac pronitatem ad ſcribendum ac teſtandum de facto: multi enim poſſent ſcribere, ac teſtari de rebus ſuorum temporum, ſed nolunt, niſi urgeant fortia motiva. Ad hoc, ut author poſſit ſcribere, requiritur, ut habeat de facto certam notitiam; quia idoneus teſtis non vult teſtari ſine documentis authenticis; requiritur inſuper, ut habeat occaſionem ſcribendi obviam; nec enim ſolent authores operibus ſuis immiſcere impertinentia, nec de quolibet facto memorabili particulari ſpeciales edere libros; nec de quacunque re immiſcere ſermonem, niſi ultrò occaſio ſubjectæ materiæ, finis ſui operis, conditio ſui ſtatûs, & tempus permiſerit. Ad hoc verò, ut quis habeat poſitivam inclinationem ad ſcribendum ac teſtandum de facto, requiritur, ut objectum eo tempore, quo ſcribit, de facili occurrat, ut habeat motiva allicientia ac præponderantia motivis abſterrentibus; ac denique, ut ſilentium argueret notabilem negligentiam ac culpam in authore. His conditionibus ceſſantibus nil evincitur ex ſilentio; manifeſtum enim eſt ab omnibus ſcriptoribus ob limitationem humanæ attentionis, aut ob motiva abſterrentia multas res reticeri ſilentio, quæ convenientius fuiſſent dictæ

Factum extraordinarium, quod ſiletur à pluribus ſcriptoribus coævis 2
ad teſtificandum diſpoſitis, pro ſuppoſitio haberi debet. Quia juxta L. C. diſpoſitio plurium cauſarum ſaltem aliquando operatur.

Praxis,

3 Praxis, Consuetudo, aut doctrina extraordinaria, de cujus origine ac novitate non testantur scriptores coævi ad testificandum dispositi, pro antiquiori haberi debet. Quia omnis extraordinaria, ac digna attentione novitas solet à talibus scriptoribus notari.

4 Objectum congruum magnorum motuum, persecutionum, impugnationum &c. præsumitur nunquam extitisse, ubi à scriptoribus dispositis nulla fit mentio talium motuum, persecutionum &c. Quia tales motus fere semper consequuntur occasiones congruas; igitur probabiliter fuissent à scriptoribus annotati. Cavendum tamen, ne hoc loco ex probabili inferatur aliud tantùm probabiliter.

5 In odiosis nulla ex silentio authorum fundatur præsumptio. Quia tali casu etiam prudentes tenent silentium. Odiosa v. g. sunt, si agatur de crimine illustris personæ, si veritas multis sit ingrata &c. hinc à fortiori patet, silentium multorum authorum contra testimonium unius idonei testis in odiosis nullam fundare præsumptionem. Quin tali casu silentium reliquorum scriptorum potius confirmat veritatem facti; cùm illi errorem unius scriptoris potius confutare, quàm silentio præterire debuissent.

6 Silentium non habetur pro consensu, nisi casu, quo quis tenetur loque, Patet ex regulis prudentiæ.



7 Silentium non habetur pro ignorantia, nisi casu, quo quis tenetur prodere scientiam.

8 Qui silet in dogmaticis, præsumitur insistere Opinioni Majorum suorum, Quia nulla præsumitur opinionum mutatio.

9 Qui silet ea, quæ pronum esset eloqui, præsumitur silere ob ignorantiam.

10 Qui in suo discursu non utitur principio, aut supposito, quo ùti pronum esset; præsumitur illud principium aut ignorare, aut habere pro inutili. Quia non datur alia causa silentii magis obvia.

11 Qui in sua assertione silet de argumento aut documento extraordinario aliquin hominibus incognito, non præsumitur illo niti. Cur enim sileret de tali argumento, quo sperare posset aliorum intellectum convinci?

Pars

Pars 3.

De Interpretatione.

§. 1.

De Vario Verborum Sensu.

SEnsum verborum voco Conceptum mentis, seu statum idearum menti obversantium, qui verbo subjicitur. 1

Sensum Proprium voco, quem usus loquentium regulariter ac immediate verbo subjicit. 2

Sensum Propriissimum voco, quem usus loquentium omnium frequentissimè ac immediatè verbo subjicit. 3

Sensum minùs Proprium voco, quem usus loquentium immediatè quidem, sed minùs frequenter verbo subjicit. 4

Sensum Improprium voco, quem usus loquentium aut rarissime aut mediatè tantùm verbo subjicit. 5

Sensum primarium voco, quem verba secundum se menti ingenerant. 6

Sensum Secundarium voco, quem circumstantiæ aut modus tendendi menti ingenerant. 7

Sensum Obvium voco, quem verba, aut manifestæ verborum circumstantiæ communiter humanis mentibus ingenerant. 8

Sensum Authoris, seu ab Authore intentum voco, quem verborum circumstantiæ non ita manifestæ, aut particularis usus authoris menti ingenerant. 9

Sensum coactum voco, quem nec usus loquentium unquam verbis subjicit, nec verba sine confusione idiomatis sibi subjici patiuntur. 10

Cæterùm quid sit sensus verborum strictus, accommodus, distributivus, copulativus, collectivus, disiunctivus, disiunctus, reduplicativus, denominativus, concretivus, materialis, formalis, privativus, exclusivus, grammaticalis, disciplinaris, ascititius, metaphoricus, litteralis, moralis, mysticus, anagogicus, latior, strictior &c. Quidve sit propositionis status, ampliatio, restrictio, distractio, appellatio, alienatio; Quid sit simpliciter dictum, secundum quid dictum, connotatio, propositio principalis, propositio incidens, modus de primo adjacente, modus de secundo adjacente &c. vel ex Summulis Aristotelicorum, vel ex usu disci potest. 11

E §. 2. De

§. 2.

De Principiis Interpretationis.

1 Omnis Interpretatio sumitur vel ex Usu loquendi, vel ex dispositione loquentis, vel ex subjecta materia.

2 Hinc pro illo sensu stat præsumptio, quem usus loquentium communiùs verbo subjicit.

3 Pro illo sensu stat præsumptio, ad quem dispositio loquentis pronior.

4 Pro illo sensu stat præsumptio, quem subjecta materia loquendi facilius ingenerat.

§. 3.

De Sensu verborum desumpto ab Usu Loquentium.

1 Usus verborum ex usu temporum æstimari debet. Quia sensus verborum dependet ab acceptatione hominum, quæ non raró temporum vicissitudine mutatur.

2 Usus verborum rectè desumitur ab usu temporum proximè antecedentium vel consequentium. Quia intra exiguum temporis spatium non solet notabiliter mutari significatio vocum.

3 Sensus verborum, inquantum præsumitur tradentibus posteris fuisse traditus, à traditione desumi debet. Quia traditio nullam fundat præsumptionem, nisi inquantum præsumitur eam proficisci à prima origine, non ab arbitrio tradentium.

4 Sensus verborum ex operationibus, quas operantur, desumi debet. Quia verba nihil operantur, nisi mediante cognitione & acceptatione humana; cùm igitur operationes humanæ communiter sequantur exemplar cognitionis prævia, ex operationibus in notitiam cognitionis præviæ, ac sensus verborum devenire possumus.

5 Sensus verborum, quem constanter eundem custodire adjuvat lumen naturale, aut providentia, semper desumi potest ab usu illorum hominum, in quibus impressiones luminis naturalis aut providentiæ facillimè recipiuntur. Quia lumen naturale aut providentia nunquam cessat consequi effectum, ad quem inclinat, in nonnullis saltem subjectis bene dispositis; hinc tali casu debet credi sensum verborum mansisse invariatum, etiamsi mille rationes darentur in oppositum, quia lumen naturale & Providentia potentiores sunt omnibus aliis causis.

Sensus verborum rectè desumitur à sensu verborum consimilium, correlativorum, aut analogorum. Quia mentes humanæ ad imitationem pronæ solent, quantum possibile est, subjicere verbis eundem sensum, quem similibus verbis subjicere consueverunt. Debent autem verba, aut propositiones consimiles, è quibus sumitur interpretatio, esse coævæ propositioni, quæ explicatur. 6

Igitur ex sola inductione locutionum consimilium fit præsumptio pro usu loquentium. 7

Ubi verò in usu loquentium reperitur divisio, stat prò sensu famosiori præsumptio. 8

§. 4.

De Sensu verborum desumpto à Dispositione Loquentis.

Ad illum sensum pronior est loquentis dispositio, ad quem datur major principiorum ad humanam cognitionem concurrentium inclinatio. 1

Principia ad humanam cognitionem remotè concurrentia sunt. 1. Cerebri naturalis aut acquisita habilitas. 2. Humorum aut temperamentorum activitas. 3. Spirituum subtilitas. 4. Impressionum. Imaginum, seu vestigiorum tenacitas, profunditas, debilitas. 5. Impressionum ad invicem ordo ac communicatio. 2

Principia ad humanam cognitionem propinquiùs concurrentia sunt. 1. Educatio ac Magistrorum Institutio. 2. Eruditio è libris aut aliis documentis acquisita. 3. Præjudicia, seu principia generalia semel firmiter recepta. 4. Exercitatio, ac conversatio. 5. Idearum claritas, aut obscuritas; ordo, copia, aut confusio & defectus. 6. Habitus quidam mentis naturalis aut acquisitus ordinatè ac rationabiliter discurrendi. 7. Attentio mentis, aut præcipitantia. 8. Lumen quoddam naturale aut acquisitum singula aptè discernendi ac providendi, & multa connexa simul comprehendendi. 9. Auxilia extrinseca menti assistentia v. g. specialis providentia. 10. Affectiones ac passiones animi. 3

Pro illo sensu stat præsumptio, quem in similis conditionis hominibus regulariter ponit similis dispositio. 4

Pro illo sensu stat præsumptio, qui ex principiis, ideis, documentis, aut objectis Authori familiaribus facilius resultat. Debent in hoc casu consuli L. C, secundum quas quævis propinqua dispositio regulariter consequitur effectum suum, & quidem eò certiùs, quo 5

plures concurrunt dispositiones, nisi aliunde constet de impedimento.

6 Pro illo sensu stat præsumptio 1. qui doctrinæ authoris aliunde traditæ est conformior. 2. Ex quo relucet major connexio in doctrina authoris. 3. Ex quo speratur major confirmatio aut illustratio Systematis, quod author tenuit. 4. Qui servat majorem analogiam cum aliis authoris expressionibus. Quia authores semper in intenti sunt ad conformitatem, connexionem, confirmationem ac analogiam doctrinæ suæ.

7 Locutio Authoris obscura per clariorem explicari debet. Quia semper præsumitur eadem authoris dispositio; adeoque idem censetur voluisse per locutionem obscuram, quod alio loco ac tempore edixit per locutionem claram.

8 Quivis præsumitur respicere ad illum finem, motivum, objectum, aut partem objecti, quæ illius menti facilius objicitur. Quia mens humana non solet respicere ad ea, quæ obvia non sunt, sed difficulter investigari possunt.

9 Sensus, qui non invenitur nisi per multos & laboriosis discursibus, non præsumitur. Quia nunquam præsumitur aliquid extraordinarium; nec contingit superari tot difficultates successivas uniformiter.

10 Pro illo sensu stat præsumptio, quem pronum est verbis subjici ab iis hominibus, ad quos verba diriguntur. Quia mens loquentis semper est dispposita ad conformandos suos conceptus conceptui audientium. Igitur author vult ingenerare auditoribus tales conceptus, quales fore ingenerandos prudenter prævidere potest; semper autem prudenter prævidere potest ingenerandos fore illos conceptus, quos consideratis circumstantiis pronum est ingenerari. Cessat tamen hæc præsumptio, quando probabile est, loquentem studio occultare velle suum conceptum, aut eum ob imperitiam linguæ non posse suum conceptum terminis propriis exprimere.

11 Nulla præsumitur ab authore verbis subjecta notio, quæ dependet ab extraordinario magisterio, attentione, subsidiis, aut dispositionibus. Quia nihil præsumitur extraordinarium.

12 Pro illo sensu stat præsumptio, per quem singulis verbis convenit congruum motivum, & congruus finis. Quia nullum verbum, immo nec modus verborum præsumitur à sapiente frustra proferri.

13 Contra illum sensum stat præsumptio, qui virum prudentem dedecet. Quia loquens pro prudenti haberi cupit: adeoque sensus, qui

qui argueret manifestum errorem circa regulas prudentiæ, non præsumitur. Talis defectus prudentiæ foret, 1. Siquis quid loqueretur nulla data occasione aut ratione impellente ad loquendum. 2. Siquis nullum haberet locutionis finem prudenter intendibilem. 3. Siquis loqueretur prorsus incongruè, improportionatè, aut inutiliter ad finem. 4. Siquis nullo modo satisfaceret exspectationi audientium, aut merito & exigentiæ objecti. 5. Siquis magno verborum apparatu aut vehementiâ occuparetur circa rem exigui momenti, aut nullius consequentiæ, aut utilitatis. 6. Siquis ob defectum suppositorum ac conditionum circa particularia non existentium terminis generalibus nudum diverberaret aërem. Quia prudentis est, de re secundum modum & circumstantias ejus particulares cum veritate ac effectu intento loqui.

§. 5.

De Sensu verborum desumpto à Subjecta Materia.

Pro illo sensu stat præsumptio, quem obviæ objecti proprietates & circumstantiæ authori faciliùs ingenerant. 1

Nemo præsumitur voluisse id afferere, cujus alioquin in natura nullum reperitur argumentum aut vestigium. Quia viri prudentes non solent auditoribus suis proponere res ipsis aliunde incognitas aut extraordinarias, nisi id manifestè claris verbis exprimant. 2

Pro illo sensu stat præsumptio, in quo relucet major omnium proprietatum ac circumstantiarum in objecto obviarum ad invicem connexio. Quia author præsumitur habere conceptum conformem objecto. 3

Pro illo sensu stat præsumptio, qui melius tangit subjectam controversiam. Quia viri prudentes non solent declinare punctum ac cardinem rei, aut dissimulare difficultates sine quarum examine non satisfit controversiæ. 4

Pro illo sensu stat præsumptio, in ordine ad quem quæstio consuevit, aut debuit tractari. Quia viri prudentes solent tractare quæstiones in eo sensu, quem auditores ratione aut consuetudine impulsi exspectant. 5

Propositio significat rem in eo statu, quo omnibus occurrit ac obvia est. Quia author non potest prudenter sperare, quod auditores sui aliam notionem subjecturi sint, nisi quam illis ingerit status objecti aliunde obvius; adeoque vult suis verbis talem notionem subjici. 6

 Verba

7 Verba disciplinæ aut arti propria ex ore artis periti fundant præsumptionem pro sensu arti proprio.

8 Objecta, quæ facilè recipiunt diversas notiones, nunquam fundant præsumptionem pro notione determinata ac stabili. Quia, ubi multi effectus contingenter sunt possibiles, nulla est pro determinato effectu probabilitas.

9 Omnis notionis modus sequitur modum sui objecti aliunde obvium. Quia prudens in omnibus, etiam suæ Notioni accessoriis, respicit ad objectum, ut obtineat majorem suæ Notionis cum objecto conformitatem.

10 Hinc nulla præsumitur verbis denotari objecti proprietas, nisi ad eam author faciliter respiciat.

§. 6.

De Sensu Axiomatum, Definitionum, Divisionum, Inductionum, Enthymematum, integrorum discursuum ac Systematum.

1 Axiomata tantum fundant præsumptionem pro sensu aliunde evidenti. Quia axiomata non indigent probatione; adeoque ille, qui primus tale axioma protulit, necessario debuit axiomati subjicere sensum aliunde evidentem, ut obtineat communem assensum. Et hinc Axiomata non possunt urgeri in sensu aliunde obscuro, dubio, aut incerto.

2 Omnes definitiones, de quarum rigore non constat, præsumuntur tantum esse descriptivæ. Quia essentiæ rerum non sunt adeo obviæ, ut definiens facilè ad eas respiciat: quin plurimæ definitiones sunt reipsa tantum definitiones nominis, eo fine factæ, ut in intellectu audientium nulla fiat confusio rerum ac nominum; aut, ut audientes specialiter attendant ad unam vel alteram proprietatem objecti in definitione expressam, ad quam forte aliunde Regulæ prudentiæ nos attendere volunt.

3 Omnis definitio Simplicium est tantùm definitio nominis. Quia res simplex, quæ nullas partes habet, non potest explicari per demonstrationem partium aliunde notarum; sed solùm per demonstrationem circumstantiarum, in quibus talis simplex res menti experimentaliter innotescit.

4 Nec divisio, nec inductio præsumitur esse adæquata, nisi in ore Dogmatici. Quia homines plerumque utuntur divisione aut inductione solùm ad talem finem, ad quem obtinendum vel non indigent vel

vel non putant se indigere adæquata divisione aut inductione; quando verò materia tractatur dogmaticè, ratio exigit adæquatam, cui & regulariter obtemperatur.

Quivis præsumitur fortiùs velle insistere antecedenti, quàm 5
consequenti. Quia principia conclusionis regulariter sunt certiora & universaliora.

Author nullam præsumitur subjicere vim suæ illationi conse- 6
quentis ex antecedente, nisi tantùm in ordine ad subjectam materiam. Quia rerum connexio, in qua fundatur omnis illatio, plerumque adeò multis involvitur circumstantiis, ut sine erroris periculo non liceat argumentari ad simile.

Author in sua illatione nihil præsumitur intendere, nisi quod 7
in illa evidenter & necessariò exprimitur. Quia ex unico authoris ratiocinio possunt quidem multæ de mente authoris fieri conjecturæ; sed cùm hæ omnes non possint esse veræ, pro neutrâ secundum L. C. stabit probabilitas.

Ubi sunt eadem principia & corollaria, ibi eadem sunt dog- 8
mata.

Ubi datur principiorum & corollariorum difformitas, etiam 9
dogmatum intercedit diversitas.

Identitas vel distinctio dogmatum ex iis, quæ cum dogmate 10
regulariter conjuncta aut connexa sunt, æstimari debet. Quia proprietates etiam in moralibus compositis plerumque concomitantur rem; sive talia adjuncta sint antecedentia; sive concomitantia, sive consequentia ad dogma; sive pertineant ad perfectionem ipsius dogmatis; sive ad modum connaturalem dogma proponendi dependentem à dispositione mentis.

Integri authorum discursus ac sistemata per claram Ideam, 11
quam omnes authoris propositiones exhauriunt, exponi debent. Quia tota composita conveniunt, ubi singulæ partes convenire noscuntur; licet harmonia partium ad invicem meliùs intelligatur, quando eæ ordinatè per claram ideam exhibentur.

In illis authoribus reperitur eadem doctrina, in quibus reperi- 12
tur eadem dispositio animi.

Illi præsumuntur habere eandem doctrinam, qui habent ean- 13
dem assistentem providentiam aut illustrationem. Quia hæc fortissima cognitionis principia regulariter obtinent uniformem effectum suum.

Quivis

14 Quivis præſumitur admittere ordinarias aut cuivis obvias ſequelas doctrinæ ſuæ.

15 Nemo præſumitur cogitare de ſequelis doctrinæ ſuæ, pugnantibus cum principiis aut diſpoſitione mentis ſuæ.

16 Quivis præſumitur potius velle inſiſtere principiis generalibus, quàm ſequelis, quando hæ illis opponuntur.

17 Concluſio particularis exponit intentionem authoris circa concluſionem generalem.

18 Quando concluſio particularis præter intentionem authoris tollit omnem vim concluſionis generalis, præſumitur author potius velle inſiſtere concluſioni generali. Quia facilius eſt errare circa applicationem principiorum generalium, quàm circa ipſa principia, adeoque quilibet prudens debet habitualiter ita eſſe conſtitutus, ut potius velit teneri ſua principia generalia, quàm applicationem principiorum, quando hæc enervat illorum vim.

19 Talem quisque præſumitur intendere connexionem doctrinæ aut rationum ſuarum, qualem communiter intendunt viri ſimilis conditionis.

§. 7.

De Senſu Proprio, Primario, ac Secundario Propoſitionum.

1 In tantum ſenſus propoſitionis eſt proprius, inquantum eſt uſitatus apud eos, ad quos propoſitio dirigitur.

2 Senſus proprius propoſitioni aliquando ſubjectus præſumitur eidem ſemper ſubjectus; quousque non probatur mutatio.

3 Senſus, quem Interpretes communiter propoſitioni ſubjiciunt, præſumitur eſſe proprius. Niſi exinde Interpretes rebus aut opinionibus ſuis commodum ſperare poſſent. Quia præſumuntur accipere propoſitionem in ſenſu obvio & uſitato.

4 Ille ſenſus præſumitur eſſe proprius, quem propria confeſſione agnoſcunt ii, quibus ille ſenſus præjudicat. Hinc ſiquis textus in diſputatione adverſariis objiciendus eſt, utile fuerit, illum textum, ſuppreſſo nomine authoris, per modum propriæ aſſertionis aſſumere; ſic enim adverſarius ſtatim ſimpliciter negabit talem aſſertionem, ſi proprius ac obvius ſenſus illi adverſatur, ac proin propria confeſſione convincitur, proprium ac obvium illius textûs ſenſum illi adverſari.

5 Ille ſenſus, quo ſtante potuiſſet propoſitioni affirmativæ ſubſtitui negativa, aut viciſſim, non eſt proprius propoſitioni. Quia duæ contra-

contradictoriæ propositiones non possunt esse veræ in sensu proprio; nec idem potest esse subjectum aut significatum affirmationis & negationis in sensu proprio.

Ille sensus non præsumitur esse proprius verbo, qui potest exprimi per aliud verbum proprium. Quia licet ex usu hominum dentur aliqua verba propria synonima, regulariter tamen iidem conceptus non solent habere plura sui signa propria; cùm homines potiùs ob inopiam verborum coacti sint, ut iisdem signis ac verbis diversos conceptus exprimerent. Hinc in rigore vix ulla locutio assequitur sensum proprium alterius locutionis. 6

Sensus, qui facillimè potuisset exprimi aliis verbis claris, propriis, ac cuivis obviis, non præsumitur subesse verbis obscuris. Quia nullus præsumitur studiò velle uti verbis æquivocis aut obscuris, si habet obvia verba clara ac propria. 7

Nulla exaggeratio, aut figurata locutio oratoria præsumitur recedere à proprio verborum sensu nisi inquantum id aliunde est evidens. Quia nullus præsumitur suos auditores velle decipere addendo vel minuendo de veritate; deciperet autem, si exaggeratio aut figurata locutio sic recederet à proprio verborum sensu, ut id ab auditoribus non possit facillimè adverti. 8

Verbum proprium additum improprio nec fundat præsumptionem pro sensu proprio nec pro improprio. Quia non est major ratio, cur unum dicatur accessorium alterius. 9

Major stat præsumptio pro sensu proprio, quàm pro sensu grammaticali, ac primævæ institutionis. Quia usus verbi potentior est institutione. 10

Ille sensus præsumitur esse proprius, quem homines ejusdem cum authore conditionis communiter verbo subjiciunt. 11

Sensus, qui ex dispositione loquentis, aut subjecta materia ostenditur subesse verbis aliunde ambiguis, adhuc præsumitur verbis illis esse proprius. Quia reverà ille sensus verbis convenit, qui eisdem utut argumento extrinseco convenire ostenditur. 12

Sensus, qui est verbis proprius in ore unius, etiam in ore alterius esse præsumitur. 13

Quando author sæpius sumeret verbum in sensu improprio, staret potiùs pro sensu improprio præsumptio. 14

Quando contra veræ propositionis proprium sensum pugnat ratio aliunde moraliter certa, stat potius pro sensu improprio præsumptio. 15

16 Etymologica & Derivativa non præsumuntur assequi sensum proprium verbi originarii. Quia plerumque verbis Etymologicis ac derivativis imponitur sensus distinctus à sensu verbi originarii. Hinc in usu vocum benè distingui debet id, à quo significatio translata est, & id, ad quod significandum translata est.

17 Quævis propositio præsumitur esse functa officio suo per sensum primarium. Quia nullus solet uni propositioni subjicere plures sensus. Hinc etiam propositiones urgendæ non sunt in alio sensu; quàm primario; multò minùs consectariis vexandæ.

18 Omnis propositio potest recipere sensum secundarium simul stantem cum primario. Quia possunt aliud verba loqui, aliud circumstantiæ verborum, ita, ut hi duo sensus nec se invicem excludant, nec impediant: adeoque talis propositio æquivalet duabus distinctis propositionibus per particulam copulativam Et conjunctis.

19 Quando Sensus secundarius obvius est, recipit propositio denominationem æquè à sensu secundario, ac à primario: quod nempe dicatur in sensu obvio falsa, scandalosa, temeraria &c.

20 Propositio, è qua pronum est inferre aliam propositionem, reipsa in sensu secundario jam præsumitur inferre illam propositionem. Quia nullus præsumitur studiò adhibere talem modum tendendi, è quo pronum sit inferre consectaria, nisi intendat illa consectaria, cuivis, ut ponitur, obvia.

21 Talem quisque præsumitur propositioni subjicere sensum secundarium, qualem homines similis cum authore conditionis solent subjicere, aut, qualem pronum est subjicere spectata subjecta materia & dispositione loquentis. Quia, quod pronum est fieri, communiter fit secundùm L. C.

§. 8.

De Sensu Universali & Particulari, Limitato, & Illimitato, Absoluto & Conditionato Propositionum.

1 Subjectum propositionis indefinitæ in materia contingenti fundat præsumptionem pro sensu particulari.

2 Subjectum propositionis indefinitæ in Dogmaticis fundat præsumptionem pro sensu universali. Hinc contradictoria propositionis dogmaticæ est particularis.

Prædicatum propositionis affirmativæ parit sensum particularem disjunctivum. Prædicatum verò propositionis negativæ parit sensum universalem distributivum.

Nulla

Nulla præsumitur propositioni subjecta fuisse universalitas, nisi 4
ad quam respicere aliunde authori pronum erat, vel ob mentis dispositionem, vel ob subjectam materiam. Quia intellectus non solet respicere ad objecta sibi extraordinaria ac difficilia.

Talis præsumitur propositioni subjecta universalitas, ad quam 5
solent respicere ii, ad quos propositio dirigitur. Quia verba generalia non significant ultra intentionem proferentium, qui volunt intelligi. Notandum autem, quod homines tantùm soleant propositioni subjicere aliquam universalitatem, non omnem universalitatem, nempe tantùm universalitatem illorum objectorum, quæ sibi notiora sunt, ac facilius menti occurrunt. Hinc

Propositio generalis non præsumitur comprehendere universalitatem eorum objectorum, quæ menti difficulter occurrunt. Quia 6
nihil extraordinarium præsumitur, nec mens solet respicere ad casus & objecta extraordinaria.

Propositio generalis non restringitur ultra evidentem exigentiam explicationum, limitationum, ac conditionum restringentium. 7
Quia illa universalitas, ad quam semel prona est propositio, se extendit, quantum potest.

Exceptio particularis non tollit præsumptionem universalem 8
propositionis generalis. Quia non obstante exceptione salvatur aliqua universalitas; neque enim in propositione generali affirmatur, quod semper fit, sed quod regulariter fit, si propositio sit in materia contingenti. Adeoque multò minùs tollitur universalitas propositionis ob exceptionem ac restrictionem alterius propositionis ei, de cujus sensu quæritur, analogæ.

Propositio illimitata præsumitur fuisse limitata ad conditiones 9
limitantes, ad quas fuit pronum respicere. Quia nullius præsumitur plus velle asserere cum erroris periculo, quàm scopus exigit. Tales conditiones limitantes sunt finis propositionis, motiva, explicatio, contextus &c.

Nunquam sumenda stricta aut laxa interpretatio, nisi inquantum 10
aliunde præsumitur eam intentioni loquentis conformem esse. Quia dependet ab intentione loquentis, quantum in favorabilibus aut odiosis velit ad subjectam materiam attendere; nunquam igitur licet sensum verborum proprium ultra intentionem loquentis aliunde præsumptam restringere aut extendere; multò minùs licet ultra proprium verborum sensum excedere; quia nunquam intentio loquentis præsumitur se extendere ultra proprium verborum sensum.

51 Ubi nulla stat pro restrictione propositionis præsumptio, ibi locum non habet ulla propositionis distinctio. Quia omnis distinctio est simul aliqua sensus latioris restrictio, quæ positivè probari debet.

52 Quando in sensu obvio propositionis simpliciter prolatæ nulla de facili occurrit limitatio, inanis est omnis restrictio, distinctio, aut additio. Quia propositio, simpliciter, sine addito, ut jacet, & in sensu obvio æstimari debet; à sensu autem obvio excludi præsumitur omnis conditio, aut restrictio extraordinaria, quæ de facili menti non occurrit.

53 Cuicunque propositioni absolutæ subest illa conditio, quæ ad ejus veritatem ex sua natura requiritur, & cujus cognitio in loquente præsumi potest. Quia non decet in conversatione humana inutiliter propositionibus addere conditiones per se inexistentes.

54 Conditio, quæ de facili potest, aut communiter solet subintelligi, debet subintelligi. Quia præsumptio sumitur ab eo, quod regulariter fit.

55 Propositio absoluta non præsumitur nisi conditione extraordinaria, aut tali, quæ menti difficulter occurrit.

§. 9.

De Sensu Propositionum importantium aliquam Denominationem.

1 Omnis denominatio importat subjectum & formam denominationis in statu omnibus obvio. Quia termini propositionis audientibus noti esse debent. Hinc

Denominatio non potest tribui tali subjecto, cui forma denominationis in statu obvio sumpta non convenit.

3 Forma denominationis tribuitur subjecto sub ea ratione, sub qua omnium facillime illi potest tribui. Quia semper id præsumitur, quod facilius fit, seu, quod pronum est fieri. Hinc

4 Forma denominationis tribuitur subjecto ob causam notiorem & certiorem. 2. Forma denominationis tribuitur subjecto sub ea ratione, sub qua subjectum ad formam est magis dispositum. 3. Forma denominationis tribuitur subjecto sub ea ratione, sub qua forma aptior est ad sui receptionem.

5 Quando forma denominationis potest subjecto tribui ratione circumstantiarum, præsumitur ei tribui ratione circumstantiarum. Quia homines solent magis esse attenti ad subjecti circumstantias, quàm ad ejus naturam.

Ex natura subjecti, & formæ, & circumstantiarum aliunde nota fieri debet præsumptio. 1. An forma denominationis conveniat subjecto immediatè, an mediatè. 2. An absolutè, aut condjtionatè. 3. An reduplicativè, an denominativè. 4. An denominatio importet formam intrinsecam, an extrinsecam. 5. An forma denominationis conveniat subjecto in sensu metaphorico, aut proprio. Quia in his & similibus solet modus loquendi in utroque sensu frequenter adhiberi; adeoque præsumptio non ex modo loquendi, sed solùm ex subjecta materia, aut dispositione loquentis desumi debet. 6

Omnis denominatio, etiam incidens tantùm, præsumitur esse assumpta ob aliquem finem magis obvium. Quia nullus præsumitur miscere sermoni impertinentia. 7

Ab eo fit denominatio, quod est magis obvium, aut cuivis notabilius. 8

Toti composito tribuitur denominatio ob partem attentioni hominum magis expositam. Sive illa pars sit potior, nobilior, aut ignobilior, parum interest. Quia in denominationibus modus loquendi non sequitur uniformem regulam, sed commoditatem, consuetudinem, & attentionem hominum. Solent autem homines ad id attendere, quod sibi notius, utilius, & quod fortius movet sensus aut phantasiam aut affectus, ac denique, quod magis servit ad vitandam confusionem linguarum aut locutionum, & quod ad finem particularem loquentis melius provocat attentionem. 9

Regula denominationum non est similitudo locutionum. Quia homines pro sua commoditate & arbitrio consueverunt tribuere rebus denominationem, nullâ constanti locutionis regula aut formula servatâ; quin sæpe similibus denominationibus diversos sensus subjiciunt. Hinc 10

Ob paritatem rationis non licet inferre paritatem denominationis. Quia denominationes non ratio, sed usus privatorum hominum inconstans & innumeris nitens circumstantiis invenit. 11

Ubi non reperitur adæquata & actualis ratio denominationis, non est locus denominationi. Quia licet forma denominationis sit interdum aliquid præteritum; debet tamen respectus ad formam semper esse actualis. 12

Oppositio denominationum ab oppositione formarum desumi debet; inquantum hæ formæ ex mente denominantium oppositæ sunt. 13

14 Nulla denominatio præsumitur aliquid addere subjecto denominationis, nisi forma & ejus à subjecto distinctio aliunde manifestâ experientiâ nota sit. Quia homines ex pruritu loquendi tot invenerunt obscuras denominationes, in quibus nulla certa notio subjecta reperitur, ut necessariò omnes denominationes huic criterio subjici debeant, nisi quis velit frequenter deludi: igitur experientiâ sensuum aut mentis forma denominationis nota esse debet.

§. 10.

De Sensu Propositionum importantium aliquam Causalitatem.

1 Causa, quæ in scholasticis ac dogmaticis adscribitur effectui, præsumitur esse adæquata, sufficiens, necessariò requisita, causa per se, causa sine qua non, immediata, ac principalis. Quia in scholasticis ac dogmaticis regulariter quæstio non solet institui de causa instrumentali, secundaria, mediata, inadæquata, causa per accidens, seu tali, quæ ex sua natura ac fine primario non ordinatur ad talem effectum.

2 Assertio unius causæ dubiæ nunquam est exclusio alterius causæ aliunde certæ ac notæ. Quia non solent investigari aut enumerari causæ, de quibus aliunde constat.

3 Talis præsumitur causæ subjecta notio, qualis satisfacit fini loquentis & exspectationi audientis.

4 Circa quæstiones Juris præsumitur assignata esse causa fortissima. Quia quivis vult pondus ac meritum causæ dubiæ modo meliore proponere.

5 Quidquid ex parte causæ exprimitur, præsumitur esse ratio causandi. Quia nihil præsumitur impertinenter ad causalitatem ab authore exprimi.

6 Quidquid ex parte effectus exprimitur, præsumitur pertinere ad rationem formalem effectûs. Quia nihil solet conjungi cum effectu, nisi pertineat ad efficientiam effectus.

7 Quidquid in scholasticis ac dogmaticis assignatur per modum medii aut dispositionis ad finem; præsumitur assignari per modum medii per se requisiti ac propingui. Quia non solent institui quæstiones de mediis minus necessariis, aut remotis.

8 Assertio unius medii aut dispositionis dubiæ non est exclusio alterius medii aut dispositionis aliunde certæ & necessariæ. Quia ea, quæ certa sunt, semper melius supponuntur.

Propo-

Propositio, quæ adscribit causæ effectum, & non adscribit effectum actualem, tantum importat virtutem ac vim causæ ad effectum. Quia non datur medium inter Actu producere effectum; & Posse producere effectum: igitur, quando effectus, quem causa producere dicitur, non est actualis, tantum affirmatur possibilitas propingua, seu virtus ac vis causæ ad effectum. 9

Quando in propositione tantum importatur virtus ac vis causæ ad effectum, tunc effectus solùm adscribitur causæ pro illis conditionibus temporis, dispositionum, circumstantiarum &c. secundum quas virtus causæ solet exire in actum. Quia in tali propositione effectus non affirmatur illimitatè & pro semper, sed sola virtus causæ ad effectum; igitur effectus solùm affirmatur secundario, & præcisè eatenus, quatenus solet exire è virtute causæ; nempe in certis circumstantiis, loci, temporis, ac dispositionum aliunde notis. 10

Hinc Propositio universalis causalis, in quantum importatur virtus causæ ad effectum, non importat universalitatem effectus, sed virtutis. Quia in tali propositione nil aliud affirmatur, quàm causam semper & universaliter expeditam esse ad producendum effectum, licet iste effectus ob defectum conditionum ac dispositionum tantùm sequatur in particularibus circumstantiis, aut ad summum regulariter. 11

§. II.

De Sensu Propositionum importantium aliquam Paritatem, Similitudinem aut Relationem.

In eo præsumitur fuisse instituta paritas aut similitudo, quod omnibus notum ac obvium est. Quia nullus præsumitur respicere ad ea, quæ menti difficulter occurrunt. 1

Eousque urgeri potest similitudo aut paritas, quousque ratio similitudinis aut paritatis facile potuit loquenti occurrere. Quia intentio loquentis non præsumitur se extendere ultra capacitatem subjectæ materiæ omnibus obviam, & ultra limites evidentiæ. 2

In eo præsumitur instituta paritas aut similitudo, in quo solo servit ad finem loquentis. 3

Talis præsumitur termino relativo subjecta esse notio, qualem aliunde pronum est consequi ex dispositione loquentis & audientium. Quia relativa nullam servant constantem notionem; notandum verò omnia esse relativa, quæ augeri aut minui possunt. 4

Quisque

5 Quisque præsumitur in termino relativo ad ea respicere, quæ illi obvia ac nota sunt.

6 Quando datur obvia allusionis occasio, præsumitur subesse allusio.

§. 12.

De Sensu verborum Univoco, Analogo, Æquivoco, Adæquato, Inadæquato, & Sensu Concretorum.

1 Tamdiu stat pro univocatione verborum præsumptio, quamdiu non probatur iis subjecta diversa notio.

2 Tanta est pro diversitate notionis verbis subjectæ præsumptio, quanta est diversitatis propinqua occasio. Quia propinqua occasio regulariter post se trahit effectum.

3 Quando idem objectum pluribus diversis notionibus concipi potest, non tollitur vocis univocatio, etsi à diversis hominibus huic voci tales diversæ notiones subjectæ sint. Quia ad univocationem vocis solùm requiritur identitas objecti, non identitas notionum.

4 Quando ex mutatione proprietatum aut partium etiam essentialium non tollitur objecti identitas, non tollit univocationem vocis enata è tali mutatione notionum diversitas. Quia in tali casu diversis notionibus adhuc exprimitur eadem res.

5 Quivis præsumitur vi verborum solùm respicere ad partes & connotata objecti aliunde sibi obvia.

6 Hinc Nullus præsumitur assequi adæquatum sensum ab alio intentum, nisi eodem modo comprehendat objectum.

7 In verbis, quorum adæquatus sensus est arduus, quivis præsumitur tantum assequi sensum inadæquatum, notiorem, generaliorem, ac famosiorem. Tunc autem sensus adæquatus est arduus, quando solùm aquiritur multarum rerum comprehensione, aut ad invicem relatione, subtili mentis penetratione; aut quando solum aquiritur multis discursibus, speciali mentis dispositione, aut experientia, ut proin in his non facilè quis ab alio plenè intelligatur; & hoc ideo fit, quia verba tantùm sunt signa conceptuum, non causa; excitant solùm latentes ideas jam aliunde aquisitas, non verò eas producunt.

8 Illi homines, qui non habent eandem adæquatè verborum notionem, non præsumuntur habere eadem principia & sequelas.

9 Concreta actualiter solùm significant formam abstractam, v. g. Album, tantum significat albedinem. Quia nihil actu significatur, nisi quod actu sibi mens sentit obversari.

Concreta

Concreta aptitudinaliter significant omne possibile subjectum formæ. Quia talia verba possunt applicari cuicunque subjecto. 10

In Concretis modus loquendi non sequitur modum concipiendi, nec vicissim. Quia in concretis solum exprimitur relatio formæ cognitæ 11
ad aliquod subjectum incognitum, quod omnino non concipitur.

§. 13.

Observanda in Praxi Interpretationis.

Nullus sensus verbis tribuendus, nisi positiva præsumptione fun- 1
dari possit.

Non tollitur pro sensu verborum præsumptio ex eo, quod ali- 2
quando possint, aut soleant habere sensum oppositum. Quia præsumptio stat pro illo sensu, qui regulariter verbis sublicitur.

Præsumptio sensus non tollitur, nisi præsumptione sensus oppo- 3
siti; Quia probabilitas unius partis non tollitur, nisi æquali probabilitate alterius partis. Hinc patet, innumeros errare, qui putant se sufficienter respondisse ad textus, si ostendant, textum pati aliam convenientem explicationem, quam quæ ab adversario intenditur; aut si ostendant textum posse intelligi in alio sensu, aut eum aliquando in sensu sibi favorabili sumptum esse: quia Criticus non quærit, quis sensus verbis subesse possit; sed, quis sensus soleat, & præsumatur verbis subjectus esse. Quare solus ille sufficienter respondet ad textum qui ostendit, textum in utroque sensu æqualiter esse usitatum.

Quando vox est ambigua, materia subjecta obscura, & dispositio 4
loquentis incognita, pro neutro sensu stat præsumptio. Quando autem sensus verbi ambigui innotescit vel ex subjecta materia, vel ex dispositione loquentis, frustra obtenditur verbi ambiguitas.

Nulla verbis obscuris subiicienda est clara Notio, nisi inquantum 5
ea ex scriptis authoris, & circumstantiis aliunde probatur. Quia in rebus obscuris nullus præsumitur habere claram notionem, nisi inquantum eam claris verbis exprimit; contingit tamen interdum eandem locutionem ac notionem doctis videri claram, quæ minus doctis videtur obscura. Idem dicendum de Notionibus adæquatis.

Quando propositio eadem probabilitate recipit plures sensus, nullus 6
determinatè asseri potest. Patet ex L. C.

Quando tantum probabiliter constat de sensu authoris, cujus autho- 7
ritas solum fundaret probabilitatem, nulla plerumque fundatur probabilitas. Quia, quod ex probabili tantum probabiliter deducitur, non remanet probabile.

 Pro-

8 Propositiones, quæ simpliciter offerunt sensum quendam obvium simpliciter affirmari aut negari debent.

9 Quando propositio ab adversario objecta videtur in sensu primario vera, sed in sensu secundario falsa, non est simpliciter sine distinctione neganda, nisi sensus secundarius foret famosior.

10 Traditio, Consuetudo, & Mens Interpretum fundat præsumptionem pro sensu. Quia licet frequenter fallant; sæpius tamen non fallunt.

11 Communis sensus Interpretum habentium debitam mentis dispositionem fundat summam probabilitatem. Quia in subjectis bene dispositis lumen naturale rarò impeditur à suo effectu; igitur majori numero interpretum credendum.

12 Sensus Interpretum etiam innumerabilium, in quibus nulla reperitur pro recta mentis dispositione præsumptio, nullam fundat præsumptionem. Quia juxta L. C. in talibus subjectis æque facile, immo facilius potest poni error, quam veritas; positivè autem indispositio interpretum probatur, si desunt illis illæ conditiones, quæ aliis interpretibus priorum adversariis communiter insunt, v. g. Eruditio, Attentio, longa applicatio, Præjudiciorum libertas, Judicii ac Passionum indifferentia, Modus ac habitus ingenii doctis familiaris, sanctitas, assistentia providentiæ &c. & si ostendatur, eos non attendere ad illa, quæ tamen aliis parum attentis facile occurrunt. Negative indispositio interpretis probatur, si in illo nullum appareat positivum enumeratarum conditionum argumentum, ita ut ejus scripta æquè potuerint promanare ab authore, in quo illæ conditiones non existunt: cum enim difficile sit celare dotes suas, præsumitur, eas non reperiri, ubi earum nullum apparet argumentum.

13 Nulla verbis subiicienda est idea, cujus experimentalis mentis notitia ac genesis demonstrari non possit. Hæc Regula necessaria est in multis casibus, in quibus homines loquuntur sine ullo verborum sensu. Regulæ autem æquitas exinde probatur, quia verba sunt tantum signa conceptuum, seu Idearum; signa autem sunt tantum commonitoria rei jam aliunde notæ; sicut enim cæco colores nullo signo demonstrari possunt, ita nullum aliud signum potest esse rei ignotæ signum. Hinc infantes, quando addiscunt significationem verborum, eam non addiscunt, nisi illas res, quas verba exprimunt, simul sensibus cognoscant. Igitur, sicut infantibus significatum verborum experimentali sensuum notitiâ notum esse debet; ita omnes aliæ ideæ verbis subjectæ aliunde experimentali mentis notitia cognitæ esse debent; & sicut genesis illarum idearum,

quæ

quæ in manibus ingenerantur, demonstrari potest demonstrando circumstantias, in quibus ingenerantur; ita debent posse demonstrari circumstantiæ, in quibus reliquæ ideæ ingenerantur; alioquin inferendum esset, omnino nullam ideam ab authore suis verbis subjectam esse; aut si aliqua idea subjecta est, admittenda est aliqua experimentali notitiâ nota, & clarè ab omnibus aliis ideis distincta. Cæterum conceptus seu idea simplex nascitur ab experientia mentis aut sensuum; conceptus vero complexus nascitur ex combinatione simplicium.

Vix unquam ex solis verbis secundum se & nude sumptis aliquis sensus pro certo statuendus est. Quia vix ulla occurrunt verba, quæ non aliquando saltem recipiant duplicem sensum: hinc nulla statuenda certitudo, nisi simul inspiciatur subjecta materia, & dispositio loquentis. 14

In Disputatione, quando propositio adversarii habet sensum obvium erroneum, reiicienda quidem est propositio, sed excusanda intentio adversarii, si propositio patiatur sensum verum minus proprium. 15

Nulla propositio impugnanda est, nisi quis cum adversario conveniat de sensu propositionis: Ne forte oriatur confusio, & inutilis concertatio, aut lis de nomine. Signa autem Logomachiæ sunt. 1. si id, quod negatur, aliis terminis synonymis concedatur. 2. siquis ea oppugnet, in quibus genus humanum convenit. 3. siquis negat rem cognitu facillimam. 4. si vir sapiens sententiam manifeste absurdam ac ridiculam propugnet. 5. siquis à sententia absurda alioquin in praxi ac vita abhorret. 6. si tam affirmans, quam negans isdem utantur principiis, argumentis, ac responsionibus 7. si disputatio sit de definitione aut divisione. 8. siquis rogatus vocabula generalia non possit clarius in particulari aut per exemplum, aut experientiam explicare. 9. si disputantes non intelligantur circa talia objecta, quæ alioquin captum humanum non superant. 10. si aut in argumento aut in responsione subito immisceantur verba, quæ nudum rei conspectum ac clarum sensum subito nobis eripiant. In his proin occasionibus præcipue laborandum est, ut prius conveniamus cum adversario de verborum sensu in terminis aliunde claris. 16

Pars 4.

Summa Regularum Criticis modernis familiarium.

§. 1.

De Arte Critica, & Regulis Joannis Clerici.

1 Clericus Criticam vocat Artem intelligendorum veterum Scriptorum, & dignoſcendi, quænam eorum genuina ſcripta ſint, quæ ſpuria. Eam in tres partes dividit: in Prima docet, quo ordine legendi veteres Scriptores Latini, Græci, Hebraici. In Secunda tradit Canonas de interpretatione verborum & locutionum. In Tertia docet, quod nos judicium ferre oporteat de antiquorum Scriptorum libris & locis tam genuinis, quam ſpuriis, tam ſinceris, quam corruptis.

2 In Parte prima vult 1º. lectioni Veterum præmitti ſtudium Geographiæ, Chronologiæ, Conſuetudinum, & Opinionum, ad quas Scriptores veteres ſæpe reſpiciunt. 2º Inter Latinos ab initio legi vult Plautum, Terentium, Phœdrum, Cæſarem, Cornelium Nepotem, Iuſtinum, Epiſtolas Ciceronis ad familiares, & ejus Orationes faciliores: tum primùm vult progreſſum fieri ad Poetes. 3º In Græcis poſt nominum declinationes & verborum inflexiones memoriæ mandatas vult legi Polyæni ſtrategemata, Ælianum, Lucianum, Ariſtophanem, Cebetis Thebani tabulas, Dialogos Æſchinis, Xenophontem, Herodotum, Orationes Iſocratis, & Demoſthenis, ac Platonum; tunc primum Poetas Homerum, Heſiodum, Euripidem. 4. In Hebraicis poſt iteratam à tyronibus deſcriptionem Alphabeti Hebraici, & obiter comprehenſas memoria regulas neglectis anomaliis pronunciationum & conjugationum vult quotidie aliquid è Codice ſacro, ex quo ſolo non ſolum omnes Hebraicæ Grammaticæ ſed & Lexica compoſita ſunt.

3 In Parte ſecunda tradit ſequentes de Interpretatione verborum Regulas. 1. Linguæ ſibi invicem non ſatis reſpondent. 2. Voces variarum linguarum, quæ planè idem ſignificare videntur, ſibi invicem non reſpondent. 3. Multa videntur in verſionibus emphatica, quæ in ipſis fontibus nullam emphaſin habent. 4. Plurima ſunt vocabula ambigua in omnibus linguis. 5. Significationes vocum earundem nunc ſunt am-

plio

pliores, nunc arctiores. 6. Propria vocum significatio cum tralatitia non est confundenda. 7. Multis vocibus sunt subjectæ notiones obscuræ. 8. Dantur voces, quibus nulla est subjecta notio. 9. Locutiones sunt plurimæ in omnibus linguis anomalæ, & parum adcuratæ, quæ nimium urgendæ non sunt. 10. Impropria locutio non est confundenda cum tropica aut figurata locutione. 11. Multa sunt propter constructionem ambigua. 12. Vt probe intelligatur quivis Scriptor, consuetudines & opiniones ejus popularium tenendæ sunt. 13. Critico, qui scriptorem interpretari aggreditur, debet esse nota res, de qua scriptor agit. 14. diversæ sectæ iisdem sæpe usæ sunt vocabulis ad diversa prorsus dogmata exprimenda. 15. difficultas intelligendi maxima oritur interdum ex stylo rhetorico. In secunda sectione hujus partis ostendit, universim ambiguæ significationis esse Nomina Notionum simplicium, & compositarum; Nomina substantiarum, & Modorum, Relationum, rerum concretarum, & abstractarum; Nomina Notionum singularium, particularium, & universalium, clararum, obscurarum, adæquatarum, & inadæquatarum.

In Parte tertia Sect. 1. agit de Origine mendorum, & postea leges emendandi subiicit. Originem mendorum repetit ex imperitia dictantis, negligentia scribentis, incuria librariorum, temeritate Criticorum, malitia impostorum, & vetustate Manuscriptorum; dictans forte litterarum ductus non est assecutus, forte affines figurâ litteras miscuit, aut quæpiam omisit, aut verborum situm neglexit, aut malè pronuntiavit, aut glossemata in margine adjecta contextui intulit. Scribens potuit ea, quæ cogitabat, non quæ audiebat, scribere; potuit perperam audire; forte non est assecutus orthographiam, & antiquiores litteras, aut omisit distinctiones, signa parentheseos, exclamationis, interrogationis, aut abbreviationibus usus est. 4

Leges emendandi sequentes sunt.

1. Siquid mutetur, mutationem res ipsa, orationisve series, stylusque scriptoris necessario postulato. 5

2. Omnis emendatio linguæ, ingenio, aut scriptoris stylo consentanea esto. 6

3. Ratio depravationis, si fieri potest, redditor. 7

4. Nulla emendatio à lectione veterum Codicum nimium recedito 8

5. Manuscripti Codices non suspecti aliis præferuntor. 9

6. Loco manuscriptorum codicum veterum citationes, ac veteres translationes adhibitis certis cautionibus sunto. 10

11 7. De omnibus in notis monere liceto, at nulla, niſi manifeſta aut ex manuſcriptis codicibus hauſta lectio in contextum orationis infertor.

12 8. Conjecturæ omnes modeſte proponuntor; ſin minus, doctis ludibrium debento.

Sectione 2. ſuppoſitionis aut interpolationis librorum ſequentia indicia ſtatuit.

13 1. Suppoſititii libri indicium eſt, ſi in veteribus codicibus alii tribuatur; cum nulla ratio eſt, cur ejus habeatur, cujus nomen in editionibus præfert. Interpolati verò, ſi ſit in veteribus codicibus ſine additamento, quod in Recentioribus invenitur.

14 2. Si, quæ ex veteribus ex libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in libro eadem inſcriptione inſignito deſiderantur, aut alius eſt, aut mutilus. Si aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet. Si omnia inveniantur ſine mutatione, genuinus eſt, niſi aliæ ſint ſuſpicandi rationes.

15 3. Scripta, quorum nulla mentio in priſcis Catalogis, quæ nec memorata ſunt ab ullo ſcriptore ſequentium ſæculorum, ut plurimùm aut ficta judicanda ſunt, aut minimum ſuſpecta habenda.

16 4. Quæ diſertè ſunt rejecta, aut in dubium revocata ab antiquioribus, ea vix propter Recentiorum authoritatem admitti queunt.

17 5. Liber, in quo dogmata leguntur iis contraria, quæ ſcriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit, non videtur ejus eſſe, ſi præſertim dogmata ſint alicujus momenti; aut interpolatus eſt.

18 6. Liber, in quo memorantur res aut perſonæ ſcriptore, cujus nomen præfert, recentiores; aut ejus non eſt, aut ab alio eſt auctus.

19 7. Liber indoctus, aut imperitia refertus non poteſt ulla ex parte aut ſaltem totus viro docto tribui; nec fabulis ſcatens viro non inepto, quem conſtat veri amantem fuiſſe, affingi, quamvis in vetuſtis Codicibus eorum nomina præferat.

20 8. Liber, in quo tractantur vel reſpiciuntur controverſiæ natæ poſt tempora ſcriptoris, cui tribuitur; aut in quo deprehenditur ſcriptoris illo recentioris imitatio, ejus non eſt, cujus nomen præfert; aut eſt interpolatus.

21 9. Si ſtylus ſit diverſus à noto aut ſæculi aut ſcriptoris ſtylo, ejus non eſt, quamvis ejus nomen præferat. Si ſit idem, ac ſtylus alius ſcriptoris, hujus liber cenſeri debet, ſi modo nihil obſtet.

22 10. Vocabula ſequioris ævi indicant Scriptorem recentiorem; in translatione verò, ſiquid ſit, quod non conveniat linguæ, qua ſcripſiſſe conſtat authorem, cui liber tribuitur, aut non eſt translatio, aut eſt interpolata.

Hæ-

Hæ igitur sunt illæ Regulæ, è quibus constat ferè tota Ars Critica Joannis Clerici: singulas Regulas explicat ac probat particularibus exemplis, magna ex parte selectis ad impugnandos Romanæ Ecclesiæ scriptores, ejusque dogmata, ob quod decreto S. Cong. Ind. 4. Martii 1709. Indici librorum prohibitorum inserta est. 23

Ut jam, quid de Arte sentiam, libere proferam; Judico, in Parte prima potuisse præscribi alium Ordinem in legendis scriptoribus Latinis & Græcis: cur enim non prællet seligere libros, quorum objectum juventutem concomitanter ideis ad formandos mores ac aperiendum judicium utilioribus imbueret: parum interest, si juvenis addiscat unum vel alterum terminum minus latinum, quem factus erudicior poterit corrigere; multum verò nocet, si tenero cerebro imprimantur talia objecta ac vestigia, quorum cum vitiis connexio perpetuò mansura est. 24

In Parte secunda observo, omnes Clerici Regulas hoc solum probare, multorum verborum significationem adcuratam physica certitudine sciri non posse? Ad quid autem hæ regulæ me dirigunt in praxi? an ad hoc, ut significationem verborum universaliter pro incerta habeam? hæc verò universalis incertitudo minimè sequitur è paucis exemplis à Clerico allatis. An ad hoc, ut tot exemplis admonitus cautius retineam assensum, quando significatio verborum certa non est? at hoccine est tradere Artem interpretandi & intelligendi veterum scripta? 25

Regulæ, quas Clericus in Parte tertia ex aliis authoribus collegit, aut non procedunt regulariter, sed tantùm in aliquot particularibus casibus; aut patiuntur tot explicationes, limitationes, & exceptiones, ut earum usu & applicatione non videatur tolli ulla difficultas, quod tamen ad omnem bonam Regulam requiritur. Utilis animadversio ac observatio est, quæ suo tempore mentem manifesti erroris admonet, aut à manifesto errore revocat; Regula verò est, quæ dubia & difficultates alioquin solutu difficiles sui applicatione facile dissolvit. Debet insuper omnis regula esse instrumentum artificiale, non omnibus obvium, ac à natura concessum; tales enim regulæ forent innumeræ, & frustra doctis præscribuntur, utpote quibus ipsa natura, ingenium, & subjecta materia tales regulas facillime suggerit. Num igitur plus subsidii sperandum à Regulis Clerici, quàm à Locis Topicis generalibus Aristotelicis? 26

§. 2.

Regula 2. Habeatur perfecta cognitio linguæ, è qua versio fit. 4
Cùm autem pleraque verba Hebraica sint æquivoca ; 1. Ponatur in corpore versionis ille sensus, qui videbitur melior ; reliquis expositionibus in marginem rejectis. 2. Studium linguæ Hebraicæ instituatur, quàm quæ traditur in scholis & dictionariis. 3. Ut habeatur perfectior cognitio linguæ, consulantur veteres interpretes Græci, Judæi, Caraitæ seu Textuarii, qui insistunt soli textui, rejectis traditionibus; & Rabbinistæ seu Thalmudici, qui præter textum recipiunt traditiones. His jungi possunt S. Hieronymus, & Masorethæ. 4. Assumantur in subsidium Concordantiæ Biblicæ, maximè Conradi Kircheri, in quibus uno quasi obtutu cernitur expositio, quam 70. Interpretes tribuunt verbis Hebraicis ; & Concordantia Marii de Calasio, in qua cernitur differentia inter Vulgatam & 70. Interpretes. 5. Adhibeantur antiquæ versiones, ut sciamus, quid approbatione temporum receptum sit ; & peregrinæ linguæ, ut antiquæ versiones cum originali conferri possint.

Regula 3. Habeatur perfecta cognitio linguæ, in quam fit 5
translatio. Sed 1. hæc cognitio non adstringatur certis subtilitatibus, quarum observantiâ necesse est obscurum reddi sensum authoris ; modo adhibeantur eæ expressiones, quæ Originale proximè assequuntur. 2. Interpres non alligetur ordini verborum, qui est in originali ; alioquin ob anomaliam linguarum non poterunt vitari æquivocationes. 3. In casu dubii de significatione alicujus verbi de eo debebit lector admoneri in margine. 4. In fine versionis addatur Dictionarium verborum obscurorum & difficilium ; nomina animalium, plantarum, lapidum, instrumentorum &c. ipsis Judæis incognitorum post usum linguæ Hebraicæ. Si verbum fuerit omninò incognitum in corpore versionis retineri debebit verbum Hebraicum textûs, conjecturis in Dictionarium rejectis. 5. Adjungantur tabulæ Geographicæ & Chronologicæ cum explicatione locorum difficilium.

Hæ Simonii Regulæ multas passæ sunt censuras, & reverà mul- 6
tis difficultatibus subjectæ sunt ; aut enim ea, quæ Simonius exigit, non poterunt præstari ab ullo homine ; aut si humano modo præstentur, non poterunt tollere radicem totius incertitudinis, nempe defectum sufficientium documentorum ; hoc defectu permanente correctio versionis vulgatæ solùm niti potest conjecturis, quæ licèt

quandoque etiam fortes sint, non sufficiunt ad introducendam tanti momenti mutationem circa id, quod traditum est. Accedit, quod hæ regulæ tantum libertatis relinquant interpreti, ut pronum sit, illum, maximè si præjudiciis & erroneis opinionibus imbutus est, nec ulla assistente providentia dirigitur, à sano harum regularum sensu & usu deflectere. Plura affert R. P. Honoré in suis Reflexionibus Criticis.

7 Quòd attinet ad expositionem Scripturæ, plures nobis Regulas reliquerunt SS. Patres, præsertim Hieronymus, & Augustinus, qui suas septem regulas de Doct. Christ. non dedignatus est à Donatistis mutuari; omnes has SS. Patrum Regulas in unum collegit, affertque ducentas triginta quatuor. Sixtus Senensis in sua Bibliotheca l. 3. Artem interpretandi scripturam tradidit. Alphonsus Salmeron in suis Prolegomenis affert Canones 150. Alii Interpretes pariter sibi suas Regulas statuerunt, & Recentiores plurima Prolegomena ac Introductiones in scripturam ediderunt; his tamen omnibus parum effectum est, cùm ob universalitatem Regularum in applicatione plerumque Interpretes dissentiant. Exempli tantùm loco apponam aliquot Regulas 1717. Parisiis editas, quæ à Collectoribus Trevoltiensibus mirè commendantur. Omnes hæ regulæ attingunt Vetus Testamentum.

8 Prima. In omnibus locis, in quibus Apostoli respexerunt ad Jesum Christum, oportet & nos respicere.

9 Secunda. Oportet semper eos textus referre ad Jesum Christum, in quibus certis characteribus sibi soli convenientibus designatur.

10 Tertia. Quando expressiones S. Scripturæ nimis sunt augustæ pro subjecta materia, quam videntur respicere, referendæ sunt ad objectum magis augustum.

11 Quarta. Reperiuntur textus, in quibus sensus propheticus est solus immediatus & litteralis sensus.

12 Quinta. Promissiones, quarum objectum est temporale, haberi debent pro figura bonorum spiritualium.

13 Sexta. Quando in Scriptura reperiuntur res, quæ ut jacent, non videntur consentire cum nostra ratione, aut cum qualitate personarum ad eas res perficiendas concurrentium, debemus intelligere latere mysterium.

Septima.

Septima. Reperiuntur in Scriptura adeo stupenda, & manifestè sapientia mysterium, ut seipsis mentem ultra sensum simplicem historicum vocent. 14

Octava. Reperiuntur in Scriptura historiæ, quarum circumstantiæ aperte referuntur ad Jesum Christum, ut sine dubio eum repræsentent. 15

Nona. Lex, tabernaculum, sacrificia, sacerdotium, cæremoniæ Judaicæ sunt figura Jesu Christi. 16

Decima. Quando applicatio historiæ aut prophetiæ ad Jesum Christum est simplex, connaturalis, facilis ac obvia, ita ut omnes partes ad unum scopum uniantur ac colligantur; stat pro illa applicatione præsumptio. 17

Undecima. Loca Scripturæ, ubi lex, circumcisio, templum, sacrificia, cæremoniæ, privilegia seminis Abrahamici, habitationis in terra promissa & in Jerusalem non videntur habere sufficientem finem ac utilitatem, certò nos ducunt ad Jesum Christum, & justitiam Evangelii. 18

Duodecima. Certæ prædictiones Prophetarum sub iisdem terminis comprehendunt eventus diversissimos & ab invicem remotissimos. 19

Hæ Regulæ, utcunque bonæ sint, nil tamen extraordinarii subsidii hactenus incogniti continent; earum probatio dependet à locis Scripturæ aliunde controversis; possemus iis carere, nisi in eas temeritas modernorum Criticorum toties impegisset. 20

§. 3.

De Regulis Criticis Studium Conciliorum, Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum concernentibus.

R. P. Mabillonius de Studiis Monasticis P. 2. C. 5. in lectione Conciliorum tria observari vult. 1. Habeatur Idea generalis rerum, quæ in Conciliis observari merentur. 2. Sciatur exactè historia cujusvis Concilii, occasio, ob quam fuit coactum; hæreses in eo condemnatæ, personæ illustres assistentes, & successus subsecutus. 3. Subjiciantur singulæ Concilii partes, tam eæ, quæ dogmata, quàm illæ, quæ disciplinam concernunt, propriis observationibus ac reflexionibus. 1

Illæ,

2 Idem C. 5. in lectione Patrum novem Regulas præscribit. 1. Ante initium lectionis utile fuerit legere vitam Patris, ut cognoscatur illius ingenium, genius, character, actiones, & tempus, quo vixit. 2. Secernantur ejus genuina opera à dubiis aut suppositis. 3. Distinguantur tempora, quibus quodvis opus compositum est. 4. Quando Pater de eodem objecto locutus est diversimodè, ultimæ ejus opinioni inhærendum est. 5. De mente ac doctrina Patris judicium potius sumi debet ex illis locis, in quibus ex instituto examinat materiam, quàm ubi de ea agit incidenter. 6. Non omnia cæcè ac indiscriminatim recipere convenit, quæ Pater docuit. 7. Quando Pater sequitur opinionem non communem aliis Patribus, non debet illi adhiberi plena fides, nisi ejus opinio ab Ecclesia sit consecrata. Quandocunque verò opinionem tantorum virorum dimittimus, cum reverentia dimittenda est. 8. In operibus Polemicis solùm attendere oportet ad scopum controversiæ, nec eos semper eousque sequi, quo calore disputationis nonnunquam abrepti sunt. 9. Utile fuerit facere Analysin cujusque tractatûs.

3 R. P. Thomasius Presbyter Oratorii in Indiculo Instit. Theol. veterum Patrum Romæ 1701. observat. 1. Patres usos esse terminis in sensu à Scripturis usitato. 2. Eos scribendo tam pro indoctis, quàm pro doctis usos esse modo loquendi vulgari, nec sollicitos fuisse de exacta significatione terminorum. 3. Plerosque Patrum institutos in philosophia Platonis usos esse modo loquendi Platonico. 4. Ab iis, qui legere voluerint Patres, deponenda esse præjudicia scholæ.

4 Plures similes observationes tradunt alii, quæ tamen videntur plerumque ultro occurrere parum attentis in ipso Patrum usu. Nonnulli etiam regulas de selectu editionum confecerunt; sed jam constat, Parisienses studio ac labore Patrum è Congregatione S. Mauri editas reliquis palmam præripere: Editæ enim sunt à viris doctis, indefessis, de nullo errore suspectis, impressæ typis reglis, ad plurima Manuscripta revisæ ac correctæ, & denique Notis, Scholiis, ac Observationibus illustratæ.

5 Qui de Locis Theologicis scripserunt, Canones de authoritate Patrum ediderint; plerique consensum Patrum in re dogmatica pro regula infallibili assumunt; in casu, quo Patres sibi mvicem contradicent,

cunt, relinquunt cuivis ſentiendi libertatem; in quæſtionibus facti minorem illis fidem tribuunt; antiquiores volunt præferri recentioribus &c.

§. 4.

De Regulis Criticorum in Hiſtoricis.

Launoyus in ſpeciali tractatu hanc Regulam ſtatuit: Ut nullum factum extraordinarium recipiatur ſine teſtimonio Scriptoris coævi, aut proximè coævi. 1

Idem in Differt. de Sulp. Severo tres alias regulas profert de Traditionibus. Prima eſt; ut de eo, quod in traditione poſitum dicitur, diverſis temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus exploratæ fidei viris, qui producantur in teſtes. 2

Secunda. Ut Scriptores illi, niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conveniant in teſtimonio, quod de re, quæ accepta per traditionem creditur, perhibent. 3

Tertia. Ut iidem Scriptores ad rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continua ſerie reducantur. 4

R. P. Honorè ex operibus modernorum Criticorum in ordine ad Hiſtoriam varias collegit regulas. 1. Magna debetur veneratio antiquis Scriptoribus Eccleſiaſticis, eorumque teſtimonia cum reverentia recipi debent. 2. Nunquam debemus recedere à teſtimonio Veterum, niſi cogamur urgentibus rationibus. 3. Teſtimonia veterum eludi non debent reſponſis parum ſolidis, nec eorum authoritas minui. 4. Non debemus recedere ab authoritate Patrum ex ductu hæreticorum in quæſtionibus facti, maximè quando factum attingit religionem. 5. Non debemus Scriptoribus Eccleſiaſticis affingere opiniones, quas non tenuerunt. 6. Non debemus diſſimulare veras authorum opiniones. 7. Authores faventes non nimis extollantur, nec oppoſiti nimis deprimantur. 8. Idem textus authoris non recipiatur in uno loco, in alio rejiciatur. Nihil his regulis evidentius ac notius. 5

Cùm hiſtoriæ nitantur genuinis documentis, etiam de ſuppoſitione operum tradendæ erant regulæ. Scultetus è Sixto Sen. Bibl. l. 4. tria ſuppoſitionem probare ait: ſtylum, ſubjectam materiam, tempus. Mabillonius è quatuor principiis ſuppoſitionem operum infert. 6

fert. 1. è manuscriptis. 2. è diversitate styli. 3. è testimonio authorum. 4. è factis narratis in opere.

7 Author Problematis de S. Dionysii Areopagitæ operibus quinque affert regulas. 1. Quando liber tribuitur authori ex fide monumentorum incertorum aut evidenter falsorum, habetur ferè infallibile suppositionis signum. 2. Quando liber non potest authori tribui, quin concedantur multæ inconvenientiæ, habetur signum probabile suppositionis; & si omnes inconvenientiæ sumantur simul, habetur signum moraliter infallibile. 3. Quando Scriptores Apologetici inter se non conveniunt, sed sibi invicem contradicunt in præcipuis capitibus & circumstantiis circa librum & authorem illius, habetur signum suppositionis. 4. Quando ex omnibus apologiis ne unica quidem fundat probabilitatem pro authoritate libri defendendi. 5. Quando ex omnibus Apologiis sive simul sive seorsim sumptis non potest conflari unum systema, quod cum Chronologia authoris consentiat.

8 Conjecturæ magnum in historicis locum occupant, circa has statuuntur à diversis sequentia: 1. Factum sine testimonio Scriptoris coævi aut proximè coævi recipiendum non est. 2. Historia, cujus testimonium repetitur primitùs è libro supposito aut apocrypho, pro falsa aut certè dubia haberi debet. 3. Historia, in qua reperiuntur res manifestè fabulosæ, habenda pro falsa. 4. Factum, quod repugnat Chronologiæ, aut continet res repugnantes tempori, loco, personis, aut historiis aliunde certis, rejiciendum est. 5. Historia, cujus Scriptores sibi non consentiunt, diversimodè referendo eandem rem, habenda est pro fictitia.

9 Arnaldus Differt. de Hegesippo sequentes leges constituit:

1. Quando constat aliunde de veritate facti, parum curari debent objectiones; sufficiant solutiones probabiles, & possibiles, quin necesse sit earum rerum veritatem probare, quæ in solutionibus afferuntur.

10 2. Quando aliunde non certò constat de veritate facti, ad objectiones convenienter cum probatione solutionis responderi debet: nec sufficit generatim respondere; multas veritates impugnari objectionibus, quæ difficulter solvi possunt.

3. Id,

3. Id, quod in Jure vocatur Præsumptio, non confundatur cum Veritate. Quando id, quod dico, habet majorem verosimilitudinem, quàm assertio adversarii, stat pro me Præsumptio; sed per hoc nondum certum est, veritatem stare ex meis partibus: hoc solum refero commodum, ut onus probandi rejiciatur in adversarium. 11

4. Quando factum nititur testimonio authoris coævi; & testimonio alterius, qui primùm scripsit post centum annos; præsumptio stat pro authore coævo; nec nisi sine urgentibus rationibus testimonium posterioris præferri potest. 12

5. Solis Scriptoribus Canonicis hoc tribuamus, quod nec falli potuerint, nec fallere. Reliquis Scriptoribus, quantumcunque sanctis & doctis nulla lege fidem debemus. Aug. 13

6. Quando asseritur quid novum, extraordinarium, parum credibile, & ab uno solo authore in loco, in quo manifestè errat; tunc asserenti, non neganti incumbit probatio. 14

7. Non est credibile hominem adeo recessisse à regulis rectæ rationis, ut ejus modus agendi sit sine exemplo nisi insipientium. Si quid tale proin reperitur in historia, non potest non haberi pro fabulosa. 15

Ad demonstrandam certitudinem facti antiqui, ab Anglo quodam requiruntur quatuor sequentes conditiones. 1. Ut factum cadat sub sensus. 2. Sit publicum. 3. Extent monumenta aut cæremoniæ in memoriam facti. 4. Monumenta jam sint erecta tempore facti. 16

Du Pinus circa argumentum negativum, petitum ex silentio authorum, statuit tres sequentes Regulas. 1. Quando integrum opus antiquo adscriptum reperitur incognitum toti antiquitati; Quando illi, qui conscripserunt catalogum de operibus authoris, nullam de quopiam opere mentionem fecerunt; aut quando opus catholicis favorabile non fuit allegatum ab iis, qui data occasione illud potuissent, & debuissent allegare, probabilissimum est, opus esse suppositium. 2. Quando opus ab antiquis non fuit allegatum, eoipso redditur dubium, nisi aliunde habeat authentica antiquitatis testimonia. 3. Si verò non habeat talia antiquitatis testimonia, & accedunt 17

dunt conjecturæ contra antiquitatem cum silentio antiquorum, certum est, librum esse suppositum.

18 Idem Hist. Eccles. l. 1. p. 2. C. 5. q. 3. dicit in historia Ecclesiastica consulendos antiquos Scriptores, qui præcipuè veritatem amarunt, & eam per traditionem didicerunt. Quando tales Scriptores omnes inter se conveniunt, historia pro certa haberi debet. Quando historia nititur assertione solùm unius scriptoris, debet haberi pro verosimili; Quando autem authores sibi contradicunt, eligi poterit, quod verius videbitur.

19 Nonnunquam moderni recipiunt aut rejiciunt historiam, quod videatur ipsis conveniens, aut inconveniens, possibilis, aut impossibilis, verosimilis, aut non verosimilis.

20 Quando historia continet aliunde fabulosa, improbabilia, aut non verosimilia, ea communiter à modernis rejicitur.

21 Quando Tituli, Inscriptiones, & Subscriptiones coævæ non conveniunt cum historia, ea à modernis rejicitur; quando verò historia solùm passa est aliquas additiones recentiores, nolunt authoritatem historiæ imminui.

22 Sæpe rejicitur historia ob multas conjecturas simul sumptas, v. g. 1. Quod non nitatur testimonio authoris antiqui. 2. Quod desumpta sit è libris supposititiis. 3. Quod contineat fabulosa. 4. Quod repugnet Chronologiæ. 5. Quod contineat circumstantias parùm convenientes loco, tempori, & qualitati personarum. 6. Quod diversimodè narretur à Scriptoribus.

23 Du Pinus pro suprema Regula ponit Judicium æquitatis & prudentiæ, quo ponderantur rationes.

24 Pro discernendis Actis Martyrum ponuntur sequentes regulæ. 1. Acta Martyrum, quò sunt succinctiora, & simpliciora, eò sunt meliora. 2. Acta sincera antiquorum Martyrum ordinariè referunt pauca miracula & prodigia. 3. Acta authentica Sanctorum continent paucas Oratiunculas, allocutiones & colloquia. 4. Acta sincera primorum Martyrum non continent multa tormenta extraordinaria.

naria. 5. Verba contumeliosa, parùm sanctos decentia, arguunt actorum suppositionem.

Quidam insuper suppositionis arguunt ea Acta. 1. In quibus 25
fiunt magna promissa à Gentilibus facta iis, qui deserta fide idola colerent, 2. In quibus fit mentio edictorum contra Christianos sub Imperatoribus Trajano, Antonino, & M. Aurelio. 3. In quibus persecutiones Decii & Valeriani simul junguntur.

Denique Tillemontius vult, ut ex lectione Actorum authenti- 26
corùm quis acquirat gustum discernendi sincera à non sinceris, ad quem acquirendum multùm conducit notitia historiæ, styli, & disciplinæ cujusvis sæculi.

Circa omnes has Regulas cum R. P. Honorè observo, pleras- 27
que non procedere universaliter, sed ordinariè tantum, ut proin solam præsumptionem, non certitudinem pariant; multæ verò ne quidem ordinariè procedunt, quia sæpiùs fallunt, quàm non fallunt. Reverà historiæ plerumque dependent à tot circumstantiis particularibus, ut inutiles fiant regulæ generales; solùm in tot circumstantiis consuli possunt Leges Contingentium; his solis invenitur, quid regulariter soleat fieri, quid non soleat fieri; quid soleat communiter esse conjunctum cum veritate historiæ, quid non soleat esse conjunctum.

§. 5.

De Regulis collectis à R. P. Honoré pro Emendatione Artis Criticæ.

Circa factum historicum ponit quinque regulas. 1. Exponatur species facti distinctè. 2. Factum probetur testimonio authorum coævorum, aut proximè coævorum. 3. Testimonia antiquorum non sint desumpta ex operibus suppositis, dubils, suspectis, aut talibus, ex quibus æquè pro parte opposita testimonia proferri possint. 4. Testimonia antiquorum sint clara, distincta, ac formalia. 5. Factum probetur insuper ratione & conjecturis. 1

2 Duobus Criticorum principiis Authoritati & Rationi addi vult tertium, nempe Traditionem ac Praxin Ecclesiæ universalis, quæ semper fundat præsumptionem. Nonnunquam vult etiam attendi ad traditionem Ecclesiæ particularis, provinciæ, aut regni.

3 Circa authoritatem Scriptorum Ecclesiasticorum optat confici tabulam Authorum in tres Classes divisam. In Prima sint libri certò genuini. In Secunda sint libri certò suppositi. In Tertia sint dubii. Dein statuit regulas sequentes.

4 Prima. Factum celebre & illustre innixum testimonio authoris coævi, nec continens incredibilia, pro certò haberi debet; debet verò author esse fide dignus.

5 Secunda. Quando factum non est publicum, nec tamen continet quid fabulosum; sed contigit in provincia authoris, pro verosimili haberi debet; maximè si traditum sit à testibus oculatis aut coævis.

6 Tertia. Etsi historia sit à paucis cognita, aliquantum extraordinaria, vestita circumstantiis non omnino incredibilibus, & gesta in terris remotis, non tamen rejici debet sine probationibus convincentibus, si falsitas talis historiæ à Scriptoribus coævis demonstrari potuisset.

7 Quarta. Testimonium authoris nimis creduli, assueti fabulis, & exigui judicii non videtur rejiciendum, si testetur se rem gestam vidisse, aut à fide dignis vel coævis accepisse: maximè si res gesta sit publica, & illustris, si nihil contineat, quod non sit verosimile; si contigit in provincia authoris, nec ejus falsitas aliunde demonstrari possit. Si verò talis author recenseat facta paucis cognita, parum probabilia, & in regionibus exteris gesta, sine examine recipi non debent, licet author dicat se testem oculatum, aut rem à fide dignis percepisse.

8 Quinta. Testimonium authoris antiquioris recentiori, comprovincialis peregrino semper præferri debet.

9 Sexta. Quando author non addit, ex quo fonte suum testimonium hauserit, ad ejus qualitatem attendi debet.

Libros

Libros ſuppoſitos diſtinguit in tres Claſſes: In Prima ſunt, qui ſcatent fabulis; his adimit omnem authoritatem. In Secunda ſunt, in quibus ſunt immixti errores; nec hos citari conſultum ducit. In Tertia ſunt, qui nihil erroneum continent; non tamen ſunt illius authoris, quem præferunt, ſed alterius. Hos citare fas eſto. Si liber apocryphus citetur à Concilio œcumenico, quoad illum ſaltem textum, qui citatur, obtinebit authoritatem. 10

Ad diſcernendos gradus authoritatis ponit ſequentes regulas. 11
1. Quando unius teſtimonio contradicunt plures ejuſdem cum illo authoritatis, ſtandum eſt teſtimonio plurium. 2. Quando unus vel alter teſtatur de facto, reliquis tenentibus ſilentium; tunc aſſerenti, non ſilenti credendum eſt. 3. Quando diverſi authores eandem rem diverſimodè referunt, credendum potius liberis, nec ulla manifeſta paſſione affectis. 4 Quando diverſi authores ſentiunt diverſimodè, licet ſequi, quem volueris. 5. Licet eundem authorem in uno loco recipere, in alio rejicere, quando cogit fortior authoritas. 6. Caſu, quo conjecturæ æqualiter in utramque partem militant, ſtandum eſt potius teſtimonio authoris antiqui, quàm moderni; membri Eccleſiæ, quàm extranei; Patrum & Doctorum Eccleſiæ, quàm aliorum, quibus nulla ab Eccleſia defertur veneratio.

Ut poſſimus ferre judicium de qualitate authoris, vult nos ad 12
quinque conditiones attendere. 1. Ad accurationem, diſcretionem, ſoliditatem, & judicium relucens ex operibus. 2. Conſiderandum; an ſit nimis credulus; an oſtendat modeſtiam, ac moderationem, nil aſſerendo ſine examine. 3. Attendendum ad modum ſe explicandi; an ſe explicet in terminis formalibus ſine ambiguitate; an forte non deſtruat in uno loco, quod in alio adſtruit: an loquatur tantum incidenter, aut rem ex inſtituto examinando. 4. An paſſio, proprium commodum, præjudicia, calor diſputationis &c. nullam ſcribendi occaſionem dederint. 5. An comprehendat materiam; an habeat occaſionem ac diſpoſitionem ad errandum.

Pro conjecturis ſequentes Gradus probabilitatis affert. 1. Pro- 13
babilitas facti eò major eſt, quo motiva ſunt magis ſolida ac rationi conformia. 2. Motivum eò conformius eſt rationi, quò à majori numero Doctorum ut tale agnoſcitur. 3. Factum eſt cò probabilius,

quantò conjectura, cui factum innititur, recipitur à pluribus doctis: hinc ista probabilitas facti, sicut & æstimatio Doctorum, successu temporum mutari potest. 4. Factum, quod nullo rationabili motivo nititur, pro non probabili haberi potest. 5. Ut sciatur, an motivum sit rationabile, examinari debet, quid de illo communiter sentiant Doctores, ac docti; nec sufficit, quod quis judicet, id suæ propriæ rationi conforme esse. 6. Ut factum sit certò probabile, requiritur, ut motivum sit positivè rationabile; non tantùm negative, quatenus nil affertur in contrarium. 7. Factum non debet censeri probabile, quando pro parte opposita stat moralis certitudo. 8. Authoritas cedat rationi, quando Docti certi sunt authorem errasse; quando verò author non potest convinci erroris, nec ei opponitur alia authoritas, ratio cedat authoritati. 9. Quando factum nititur motivo & conjectura rationabili, ejus probabilitas non potest rejici responsis generalibus, dicendo: apparenter rem potuisse non contigisse; timendum esse, ne falsa sint enarrata; dubitari posse, an factum nitatur documentis authenticis &c. Sed requiruntur responsa positiva, quibus adstruatur in oppositum æqualis probabilitas. 10. Cùm conjecturæ facilè sint subjectæ deceptioni, moderatus Criticus nunquam recedat à via communi, nisi cogatur veritate.

14 Pro Criterio traditionum proponit regulas Du Pini, quæ potissimùm attingunt traditiones apostolicas. 1. Certum sit, omnes Ecclesias primis sæculis in puncto traditionis convenisse. 2. Antiquos Patres de eo testari. 3. Ut nec initium, nec institutio à temporibus Apostolorum uspiam reperiatur. 4. Ut non reperiatûr usus contrarius in scriptis antiquorum Patrum.

15 **Pro Traditionibus historicis R. P. Honoré sequentes tradit regulas:**

Prima. Requiritur, ut praxis vel historia, quæ proponitur, nil contineat vani, superstitiosi, inutilis.

16 **Secunda. Debet posse præsumi, Ecclesiam, Episcopos, & primos, qui rem traditam receperunt, eam non recepisse sine fundamento, licèt nobis incognito.**

Tertia.

Tertia. Examinandum, an sit locus dubitandi de veritate rei 17
traditæ; Si sit locus dubitandi, requiruntur probationes claræ, certæ, & evidentes ad demonstrandam falsitatem rei traditæ.

Quarta. Res tradita nil contineat indecens, ridiculum, im- 18
probabile, manifestè fabulosum, aut incredibile.

Quinta. Traditio nihil contineat repugnans usui temporum, 19
& qualitati personarum, à quibus promanavit traditio.

Sexta. Traditio non sit impugnata ab authoribus coævis, aut 20
aliis, quorum authoritas nos de falsitate traditionis persuadere posset.

Septima. Observandum, an non reperiatur contradictio in 21
substantia traditionis; an verò solùm aliquæ circumstantiæ cum facto principali non consentiant.

Octava. Requiritur, ut convenienter possit responderi obje- 22
ctionibus.

Nona. Quando traditio non foret in omnibus conformis his 23
regulis, non deberet supprimi, si ejus suppressio causaret majus scandalum, quàm ejus tolerantia.

In Tomo Secundo suarum Reflexionum Criticarum videtur 24
primas quatuor Regulas paululùm immutasse: eas enim sic reddidit. 1. Nulla Traditio sine convenienti probatione recipiatur. 2. Piæ opiniones nil contineant fabulosi, ridiculi, impossibilis, superstitiosi. 3. Rationabiliter præsumi potest Ecclesiam, Episcopos, & alios, qui primitùs pias traditiones receperunt, id non sine fundamento fecisse, licèt nobis incognito. 4. Examinandum, an sit locus dubitandi de veritate facti; sed ut liceat dubitare de traditione jam recepta, requiruntur claræ probationes, quibus demonstretur ejus falsitas. Factum nunquam debet credi ex eo præcisè, quod possit esse verum; neque etiam debet propterea revocari in dubium, quod possit esse falsum.

En Regulas Criticæ emendatæ! at forte etiam hæ aut sunt 25
in omnem partem nimis versatiles, aut certè non satisfaciunt illo-
rum

rum Criticorum desiderio, qui cupiunt, maximè in historia Ecclesiastica, posteritati solùm documenta authentica relinquere. Cùm enim multæ traditiones falsæ eosdem veritatis characteres habeant, quos habent aliquæ traditiones veræ; non poterunt hæ retineri, quin retineantur illæ; nec illæ poterunt rejici, quin rejiciantur istæ. Critici, qui nullam historiam aut traditionem sine charactere Evidentiæ recipere volunt, ne cogantur cum aliis traditionibus solùm probabilibus veris etiam recipere multas falsas æquè nonnunquàm probabiles, rejiciendas veras cum falsis existimant, quando discerni non possunt. R. P. Honoré videtur suis regulis efficere, ut cum traditionibus probabilibus veris necessariò retineantur multæ falsæ.

Utrum horum Ecclesiæ optabilius futurum sit, solius Ecclesiæ judicio relinquam.



Errata.

Fol. 14. Lin. 6. contingens, pro continges. l. 23. fit, pro fit. f. 15. l. 9. nullum, pro nulluo. l. 11. judicio pro Judicm. f. 21. l. 2. probabilius, pro probabilitas. f. 21. l. 20. oppositas pro compositas. f. 32. l. 19. loqui, pro loque. f. 36. l. 18. laboriosos discursus, pro laboriosis discursibus. f. 49. l. 13 oppositi, pro opposit. f. 52. l. 18. Poetas, pro poetes f. 52. l. 22. Platonis, pro Platonum. l. 25. supplendum, legi. f. 53. l. 31. scriptoris, pro scriptoria. f. 57. l. 4. supplendum, alia methodo. f. 58. l. 12. libellus desuper editus à N.

Errata.

Fol. 2. lin. 9. omittatur 2. lin. 39. advenienti, pro devenienti. fol. 5. l. 1. supple, à f. 12 l. 30. privatum esse, pro privatam. fol. 26. l. ult. dividi, pro vidi. f. 31. l. 2. summum, pro dimmum. l. 12. cognitio, pro cognitionem. l. 29. supplendum. Nomina. f. 33. l. 5. negatione, pro ngationem. l. 10. convirteret, pro consieret. f. 38. l. 11. intrinseca, pro intrinseeæ. f. 39. l. 10. spinoræ, pro spinolæ. l. 13. videtur, pro videntur. f. 72. l. 12. lunarem, pro lunarum. f. 75. l. 34. instantaneæ, pro instantes. f. 77. l. 12. prima, pro primo. f. 78. l. 29. earum rerum quæ, pro easum rerum quo. f. 79. l. 1. activitas, pro actionem. f. 80. l. 6. omissus est numerum, 2. hinc delenda aut supplenda ultima verba: *licet eristentiam.* l. 17. actio, pro ectio. f. 89. l. 37. potentia, pro potentiam. f. 90. l. 10. supple, sed possit dici. l. 14. dat. pro datis. f. 91. l. 17. quia, pro nisi. l. 33. secundum se, pro secundum est. f. 93. l. 17. tali, pro talis. l. 35. deliberativa, pro deliberativum. f. 94. l. 15. quam ordo, pro quam. f. 96. l. 30 ideam, pro Idem. f. 101. l. 25. eristentiam, pro eritiam. f. 103. l. 37. divisa, pro divina. f. 107. l. 5. qua, pro quas.

Alia errata leviora Lector Benevolus facillimè sua humanitate corriget.

